



**De celebrioribus vniuersi terrarum orbis academijs libri duo, : quibus earum institutio, incrementa, & interitus, atq[ue] progressiones sic explicantur, ut ipsarum etiam artium originem, & uberri mos in Republica Christiana fructus, atq[ue] aliarum quarundam hoc tempore utilium rerum, quae in Vniuersitatibus obseruantur rationem reddant.**

<https://hdl.handle.net/1874/454788>

DE CELE-  
BRIORIBVS VNIVER-

SI TERRARVM ORBIS ACADE-  
mijs libri duo, quibus earum institutio, incremen-  
ta, & interitus, atq; progressionis sic explican-  
tur: ut ipsarum etiam artium originem, & uberri-  
mos in Republica Christiana fructus, atq; alia-  
rum quarundam hoc tempore utilium res-  
rum, quæ in Vniuersitatibus obser-  
uantur rationem reddant.

Nunc recens conscripti  
& editi

Per Iacobum Middendorpium Otmersensem.

Gerard. Matthiſius Lectori.

Huc ades, historiam uariarum noscere rerum  
Qui cupis, hanc præſens te docet iste liber.

Te docet in primis Academica quæ sit origo,

Quæ uis, quæ ratio quælibet, ecce tibi.

Multaq; præterea quoniam gratissima lectu

Continet, assidua uolue reuolue manu.

COLONIAE

Excudebat Petrus Horst. Anno

1 5 6 7.

DE CELL

UNIVERS

OF THE

UNIVERSITY

OF

OXFORD

IN

THE

LIBRARY

OF

THE

UNIVERSITY

OF

OXFORD

IN

THE

LIBRARY

OF

THE

UNIVERSITY

OF

OXFORD

IN

THE

LIBRARY

OF

THE

UNIVERSITY

# REVERENDO

ET ILLUSTRIS, DOMINO GEB:

hardo Truchses de Vualdburg Coloniae

Agrippinae, & Augustae Vindelico-

rum Canonico &c. Iacobus

Middendorpius

S. P. D.



Voniam multi in omni memoria semper extiterunt, qui historiarum aliarumq; rerum scriptoribus, si fidem suam parum pro-

bare in scribendo, aut alicubi fortè propter maximam omnium rerum difficultatem à vero aberrare viderentur, esse tamen aliquid cur dādā illis veniam putarent. Omnes bonos mihi in primis veniam daturos esse confido. Propterea quòd illi qui doctissimi viri & habebantur, & erant, cum ingenij, atq; eruditionis gloriam sibi proposuissent, in tanta abundantia rerum, & optimorum authorū copia, ea omnia vt causæ dignitas postulabat, explicaturi credebantur: Ego

\* 2 autem



EPISTOLA

autem nec aliquarum rerum mihi scientiam vendico, nec vetustioribus de rebus & maxima in obscuritate latentibus, pro dignitate scripturum profiteor. Sed nec laude aliqua vel præmijs, nec gratia alicuius vel odio: At meorum solummodo discipulorum, amicorumq; studijs & volûtati gratificaturus, animum ad scribendum appuli. Hi enim cum me non nihil studij & laboris in Academijs in Academijs quotidie vsurpantur, per investigatione posuisse scirent: vti ipsis ea communicare quæ conceperam, atq; in lucem proferre vellem rogauerunt. Quod ubi nullis precib. obtinere possent, sese ea, quæ priuatim aliquando & obiter à me recitata erant, nisi tam honestæ ipsorum petitioni acquiescerem, imperfecta edituros minabantur. Ingerentes subinde, si innato pudori & modestiæ semper indulgere, & iniqua hominum plerorumq; huius temporis iudicia reformidare deliberassem: nihil in hac materia vel calumniæ, vel odij, vel (quæ res optimas ferè comitatur) inuidiæ prorsus esse metuendum. Quippe cum nemo doctorum

DEDICATORIA.

eorum hominum molestè ferre, nedum  
 calumniari posset, quicquid pro Musis  
 & bonis artibus, quæ ipsos in tantum  
 splendorem felicitatemq; euexerunt,  
 vel ab imperitoribus proferretur: Indo-  
 eti verò calumniari quidem & maledi-  
 cere, reprehendere autem & oppugnare  
 certà ratione non possent. Iplas præte-  
 reà literas, quibus ego meipsum fortu-  
 nasq; meas debere faterer, qualecumq;  
 patrocinium defensionemq; reposcere  
 frequenter occinebant. Cùm ergò his ra-  
 tionibus assiduè pro suo candore vteren-  
 tur, & rogandi vrgendiq; nullum face-  
 rent finem: ea quæ per otium aliquandò  
 de liberalium artium origine, & Acade-  
 miarum natura annotâram colligere, &  
 communicato cum doctissimis viris cõ-  
 filio, in hunc ordinem redigere cœpi.  
 Qua in re si nec eorum qui hunc labo-  
 rem ita vrgere voluerunt expectationi,  
 nec aliorum iudicio, & eruditioni satis-  
 factum est: dissimulari ab illis meritò de-  
 bet, ab his ferri poterit. Quòd Veterum  
 scriptorum monumenta, vndè certiora  
 depromerem defuerunt. Huiusmodi ta-  
 men semper rationes allaturus, quæ pro

## EPISTOLA

babiles saltem videri possint, si veras propter Historicorum veterum diuersitatem, & scriptorum in hoc argumento penuriam inuenire non poterò. Nam qui potentissimorum Regum, & amplissimarum rerumpub. res gestas describerent, atq; abditas diuersarum rerum naturas perscrutarentur, semper plurimi fuere: qui de totius orbis Academijs, & scholis ex professo accuratius disputaret, nemo adhuc, quod mihi quidem constare potuit, repertus est. Quæ enim superioribus annis de hoc propemodum argumento in lucem prodierunt, eruditioribus hominibus perfectius aliquid cognoscendi desiderium accendere quidem: satisfacere verò nequaquam poterunt. Eò quòd tabula solum & docta quidam, nuda tamen adumbratio quædam esset orbis tantum Christiani Academiae initia, nullas progressiones, & incrementa complectens. Veruntamen illi accuratius aliquid his de rebus in posterum scribendi occasionem præceptam esse meritò conqueri possint, ego qui audire semper quàm dicere malui, ab illis hoc tempore, contra amicorum quorun-

DEDICATORIA.

quorundam sententiam abstinere decreui. Sed orbis infidelis, vnde propter vetustatem hominū, commoditatēq; loci oēs ferè liberales artes in Europam nostram peruenerunt, ex veterum Philosophorum, & Theologorum scriptis summo labore (de fructu enim aliorum iudicium esto) Academias diligenter persecutus sum. Nam à Iudæorum, qui omnium artium primi inuentores extiterunt, synagogis exorsus, aliarum gentium & Prouinciarum scholas sic descripsi vt à quibus ipsi singulas artes acceperint, quomodo à se illustratas ad alios transmiserint, quibus professoribus, & qua profitendi ratione sint vsi, si quid iam ab initio memoratu dignum acciderit, quod ad rei literariæ, & præsentis temporis mores pertineret, Præuilegia etiam, & bibliothecas seorsim diligenter annotarem. Certa tamen *ἡρολεγομενα*, quorum cognitio non iucunda solū: verum etiam utilis hoc tempore amicis videbatur, priori libro præmittenda putavi. Non quòd hæc pro sua dignitate tractare me posse confidam, sed id saltem effecturum spero, vt ingenui adole-



## EPISTOLA.

Iescentes bonas literas ardentius amare,  
 & propter vberimos fructus, maximam  
 que utilitatem diligentius colere incipi-  
 ant: & viri doctissimi hoc de argumen-  
 to pro sua in bonas artes gratitudine, &  
 Rempublicam Christianam amore, per-  
 fectius aliquid cogitandum incitentur.  
 Præsertim cum superioribus temporibus  
 exorti sint, qui vt olim in optimè cō-  
 stituta Republica Romana T. Gracchus  
 & L. Catilina, sediciosi, improbi ciues  
 pacem & otium perturbarent: sic hi do-  
 ctorum hominum ingrati discipuli, ple-  
 riq; etiam literarum prorsus ignari, Ve-  
 rustissimas Academias & tam necessa-  
 ria bonarum artium studia, non contem-  
 nere tantum: sed etiam euertere, & Erue-  
 ditos viros, quos Academiae produxe-  
 runt, omni autoritate spoliare conan-  
 tur. Vt sublatis illis artibus, quibus ve-  
 ra religio à Maioribus nostris constituta,  
 & ab erroribus hæctenus defensa est,  
 vnà nunc interiat: Ipsos verò solos, mun-  
 dus admiretur & prædicet. Quòd si ergò  
 doctissimi viri Musarum, quæ tantà in-  
 uidia laborant patrocinium suscipere vo-  
 luerint, Ipsi quidè solidam veram que  
 laudem

DEDICATORIA.

laudem studiosorum omnium consen-  
 su sunt consecuturi, quod in re tantà, &  
 & quæ magno est hominibus ad vitam  
 rectè instituendam, tranquilleq; rempu-  
 blicam administrandam adiumento, stu-  
 dium ponere non sint grauati. Et me in-  
 stituti mei atq; laboris eò minus poeni-  
 tebit, si sensero multorum discendi scri-  
 bendiq; studia commouisse. Has verò  
 studiorum meorum primitias tibi Re-  
 uerende & illustris Baro multis de causis  
 inscribendas putavi. Primò quidem  
 quia inter cæteros huius laboris exacto-  
 res tua autoritas plus apud me ponderis  
 habuit: Deindè verò vt egregiam illam e-  
 ruditionem, quam in diuersis Academi-  
 is summo labore, sub optimis præcepto-  
 ribus comparasti, gratularer. Præterea  
 vt in eruditiores terras profecturo, pristi-  
 næ virtutis atq; industriæ tuæ imago, &  
 mei ergà te, ex ijsdem rebus contracti a-  
 moris, qualecunq; testimonium semper  
 ob oculos versetur. Earundemq; rerum  
 memorià tecum nunc, quoniam mul-  
 tos longè superasti, certare, & ad maio-  
 ra semper contendere, atq; cæteros tui or-  
 dinis homines, vt in tam utili & honesto

## E P I S T O L A

certamine diligenter sequantur, excita  
 re pergas. Ad quod præter incredibiles  
 fructus, & honestam voluptatem, quæ  
 nulla aliâ ex re, quàm literarum studio  
 solidior & permanentior prouenire so-  
 let, domestica etiam clarissima exempla  
 meritò incitare debent. Nam Reueren-  
 dissimus in Christo pater, & Illustrissi-  
 mus Princeps ac Dominus. D. Otho  
 S. R. E. Cardinalis, Episcopus Au-  
 gustanus, & Albanensis, Præpositus &  
 Dominus Eluuanensis Germaniæ pro-  
 tector. & tuus charissimus Patruus, &  
 sapientia, & virtute, & gloria clarissi-  
 mus Princeps etsi plurima in se habet,  
 ametur, mirificeq; etiam apud barbaros  
 homines prædicetur: hoc tamen omnem  
 laudis excellentiam superat, quòd cum  
 gloria Maiorum, egregiam doctrinam,  
 qua in grauissimis rebus tractandis ad-  
 mirabiliter confirmatur, ipse coniunxe-  
 rit: & ad prouehenda bonarum artium  
 studia, omnes vires studiumq; conuer-  
 tat. Ac vt semel dicam verè Cardinalis.  
 hoc est Catholicæ & orthodoxæ religio-  
 nis, atq; bonarum literarum acerrimus pro-



DEDICATORIA.

propugnator & custos. Refert enim Cælius Rhodoginus lib. decimi lectionum antiquarum, capite primo quòd Cardinales eum in Ecclesia Christiana locum obtineant, quem in Iudæorum synagoga septuaginta illi seniores tenebant, quibus Moses sacrarum legum curam, & secretiora quædam mysteria, quò scriptam legem sincere interpretari possent, commiserat: proptereaq; consiliarij Dei mirabiles vt author est Origenes vocabantur. Huc accedit iudicium & auctoritas Reuerendi & Clarissimi viri, Domini Ioannis Kempis, Metropolitanæ Coloniensis Ecclesiæ Canonici presbyteri, Curiaq; Officialis &c. studiorum meorum singularis patroni. Cuius virtutes tantæ sunt, vt optimus vir, & incorruptissimus iudex ab omnibus & habeatur, & sit. Quòd nisi non solùm huius temporis homines sed etiam res ipsa loquerentur: Propterea enim quinque Illustrissimis principibus perquam gratus: reliquis ordinibus, quòd eorum gravissimas, & varias causas integerrimè dexterrimèq; semper tractarit, charissimus merito fuit. Nisi inquam his testimonijs  
 ipse

## EPISTOLA

ipsius virtutes abundarent ego ex multo-  
 rum annorum familiaritate & iucundis-  
 simo vsu, verè affirmare possem. Idcirco  
 cum & amicitia, & beneficijs, & au-  
 ctoritate apud me plurimum valeret,  
 pro sua maxima in te, ob amabiles virtu-  
 tes & egregiam eruditionem volunta-  
 te, vti hoc labore tibi potissimum grati-  
 ficarer hortatus est. Idem prorsus suade-  
 bat Reuerendus, & Clarissimus Domi-  
 nus Ioannes Suolgen. Metropolitanæ eti-  
 am Ecclesiæ Canonicus Presbyter, Di-  
 ui verò Andreæ Decanus. vir ob pruden-  
 tiam, & in rebus agendis incredibilem  
 dexteritatem, acerrimumq; ingenium,  
 atq; eloquentiam etiam apud exteros no-  
 tissimus, vtriusq; quidè amicis, tuus  
 præterea suauissimus hospes. Quoniam  
 pro suo maximo erga te amore, bona-  
 rum artium, quibus reipublicæ Christi-  
 næ rectius aliquando consulere possis,  
 studiū, & egregias illas animi tui corpo-  
 risq; dotes, augeri, foueri, atq; adolesce-  
 re, vnà nobiscum, vehementer deside-  
 rat. Hic ergò primus labor, tantò tibi  
 gravior esse debet: quanto tu diligen-  
 tius vt maturarem iastetisti, & primoge-  
 nito

DEDICATORIA.

nitorum ortus difficilior, atq; charior esse solet. Tanto iucundior lectio quanto is qui ea tibi potissimum inscribere voluit, plus amat quam pleriq; alij. Tantò deniq; aduersus maledicorum calumnias diligentius propugnare: quanto præstantior & utilior materia est, quam discipulis & amicis meis perpurgare: reliquis verò, vtinam tanto fructu quanto cum labore, commendare conatus sum. Vale Coloniae Aripinæ 12. Calend. Augusti. Anno

1567.

✽

# LIBER PRIMVS QVI

ΠΡΟΔΕΓΟΜΕΝΑ QV A E D A M

complectitur, quorum cognitio  
semper quidem iucunda: hoc  
autem tempore utilis-  
sima etiam esse  
videtur.

1 De nomine Academiae atq; Vniuersitatis: & quæ demum vera sit Vniuersitas.

2 Quibus potissimum locis Vniuersitates instituendæ sint.

3 De Vniuersitatis Rectore.

4 Quàm præclarè utiliterq; faciat Magistratus qui Vniuersitates instituit, collapsas instaurat, tuetur, atq; defendit.

5 Quantum reipublicæ utroq; & pacis & bellorum tempore semper utilitatis attulerint bonæ literæ.

- 6 Doctos viros meritò honorari, & studiosam Iuuentutem educari, atq; defendi debere.
- 7 Quantum reipublicæ intersit Iuuentutem à bonis præceptoribus rectè institui.
- 8 De honorum gradibus qui vulgo promotiones vocantur.
- 9 Quare præ cæteris vnus honoretur quem nunc ferè primum Vniuersitatis appellant.
- 10 De Vacantijs, & quare certis diebus in honorem præstantissimorum virorum singularum facultatum alumni ferientur.
- 11 Receptio tyronum quæ nunc Beano rum depositio vexatioq; dicitur.
- 12 De Signo siue campana, quibus oportuno tempore studiosi conuocantur.
- 13 De Virgis & Ferula.
- 14 De Nota.



De... ..  
...

...

...

...

...

...

...

...

...

DE ACADEMIIS.  
DE NOMINE ACADE-  
MIAR ATQVE VNIVERSITATIS, ET  
quæ demum vera sit vniuersitas

CAPVT I.



Vanquã primò apud  
Græcos tam illi qui ad  
summam animi virtu-  
tem excreuerant, quã  
qui in diuinarum hu-  
manarumq; rerum cõ-

templatione studium ponebant, vno no-  
mine σοφοί dicebantur, eodemq; & do-  
cendi loco, & tradendi ratione vt videtur  
contenti fuere: tamen cū posteriores eo-  
rum philosophi plus sapere quã illi prio-  
res vellent, acerrimeq; inuicem propte-  
rea dissidentes, contraria sæpè eisdem de  
rebus affirmarent, singuli etiam peculia-  
rem sectam, & proprium nomen vsurpa-  
re cœperunt: vt alij à ciuitatibus Eliètes  
Megarensesq; Alij ab euentu Peripateti-  
ci: Alij à præceptoribus Socratici aut E-  
picurei: reliqui ferè à locis in quibus phi-  
losofhabantur Stoici aut Academici di-  
cerentur, authore Laertio lib. I. De placit-  
is philosophorũ. Ecademia verò locus  
A fuit



fuit extra urbem nemorosus in quo scho-  
lam Ecademus instituerat: Horatius ad L.  
Florum lib.2. Epist.

Scilicet vt possem curuo dinoscere rectu  
Atq; inter sylvas Ecademi querere uerū  
Tandem per vnus literę mutationē A-  
cademia appellari cæpit. ter mille drach-  
mis emptus Agellus. Ex qua vt omnes  
ferè præstantissimi Oratores, optimi,  
philosophi, & celeberrimi poetæ. prodie-  
runt: sic eius nomen apud gratam poste-  
ritatem præ cæteris in vsu permanfit. Et  
si Peripateticorum, qui Lyceo quod alte-  
rum gymnasium erat philosophaban-  
tur, doctrina nūc sola ad eò in scholis no-  
stris propter multas commoditates reti-  
netur. Fortè q̄ Maiores nostri prudentif-  
simi viri horum quidem rem: illorum ve-  
rò nomen retinentes, vtrifq; gratificari  
& satisfacere voluerunt. Recentiorum  
quidam scholas publicas quod autori-  
tate publica, siue quod idem ferè est pu-  
blicè instituuntur: quidam Vniuersita-  
tes appellare malunt. Non quod omnes  
liberales artes in eis doceantur (multæ  
enim ad certarum tātum disciplinarum  
professionem eriguntur) sed quia pro-  
fesso-

fessoribus & studiosis literarum. colle-  
 gium & vniuersitatē habere licet, quod  
 alioqui iure prohibitum est. Syrii verò &  
 Babilonij à concertatione, quæ veritatis  
 indagandæ gratia instituitur Cunicia  
 olim appellare solebant. Verùm sicut So-  
 phocles Athenis legem tulit authore La-  
 ertio, vt neq; scholæ erigerentur: neque  
 philosophorum quisquam præffet nisi  
 id Magistratus decreuisset: Ita nos eam  
 demum veram Vniuersitatem fatemur,  
 quam Summi Pontifices, Imperatores,  
 Principesq; Romani, certis priuilegijs  
 confirmarunt. Ne ad seminanda potius  
 vicia, quàm propagandas virtutes: ad e-  
 uertendam Ecclesiam: quàm conseruan-  
 dam veram religionem à quibusdā pri-  
 uata autoritate instituatur. Quare D.D.  
 in L. Deo Authore. C. de veteri Iure enu-  
 cle. Doctorem creare (quod in veris so-  
 lum vniuersitatibus permittitur) Ponti-  
 ficis aut Principis esse affirmant. Sicut  
 Aegiptiorum sacerdotes non nisi auto-  
 ritate Regia olim publicis gymnasijs  
 præficiantur. Et Azo lucerna iuris C.  
 de professorib. Eligendos & scholis præ-  
 ficiendos esse docet, autoritate publica

Quæ nam  
 fit vera V  
 niuersitas.

cum decreti interpositione. D. enim Augustus ut maior Iuris autoritas haberetur. decreuit ut nemo de Iure responderet, nisi Principis autoritas accederet, sicut in L. 2. §. Primus diuus Augustus. ff. de origine Iuris videre est.

Et ibid. Za  
cus.

## QVIBVS POTISSIMUM LOCIS VNIVERSITATIS INSTITUENDÆ SINT. Cap. 2.

Quoniam diuinarum & humanarum legum scientiam in Maioribus tantum ciuitatibus docere permisso est, ut. §. hæc aut tria Proæmio. ff. gloss. 2. c. Epî. distinct. 80. gloss. in verbo, ciuitatibus. cap. statutum. de rescrip. in 6. docetur: Vniuersitates etiam in celebrioribus ciuitatibus instituendæ sunt. Nam Romæ solùm & Constantinopoli olim diuini humaniq; Iuris prudentia tradebatur, sicut Azo Iuriscôfult. in L. vnica. C. de studijs lib. vrb. Ro. & Consti. lib. ii. perscripsit. Metuebant enim gloriosissimi Imperatores authore Bartolo. ne sacrosanctæ leges, quæ cælum ipsum terramq; tuentur in obscurioribus locis, propter doctorum virorum penuriam, turpis lucragratia,

§. Hæc autem tria  
p. ocm. ff.

gratia, ab imperitis corrūperētur. Quod cum Maiores nostri diligenter obseruarent: nostro tam periculoso tempore, tāto accuratius obseruandum erit: quanto hominum improbitas maior est, & plurima in vniuersam philosophiam vicia irrepsērunt ne in totum aliquando corrumpatur. Neque ciuitatis tantum, sed loci quoque salubris & oportuni in instituentis Vniuersitatibus diligens ratio habenda est, quemadmodū egregiē mihi perspexisse vidētur Poetæ, qui Musas in Helicōe & Parnasso amānissimis tutissimisque montib. habitare finxerunt. Et M. Cicero Acutiores scribit esse Atticos quia Athenis tenue coelum erat: pingues verò & stupidiore Thebanos quod Thebis crassum. & Appollonius testatur Volat. li. 13 Indos acutiores esse Aethiopib. quia in aere puriore versentur. Sicut Asiatici australes non modò rerum naturalium arcana atq; arduas res hominibus reuelant, sed pernicipibus alis purgata mente vel in coelum feruntur: Septentrionales verò propter loci frigiditatem & crassitudinem, viribus quā ingenio & sapientia præstant. Tantum inter locorum



naturas interest. multaq; sunt quæ inter locum & locum plurimum differunt, atq; ab eruditis viris, & studiosa iuuentute diligenter obseruantur. Strabo enim geograph. lib. 5. pbat. Neapoli olim celeberrimã vniuersitatem fuisse, propter salubritatem oportunitatemq; loci quippe ubi iuuentus bonas artes perdiscere: & valetudinem, quæ ex studio ferè læditur curare posset. Rursus libro 14. Tharsensem Academiam propter Cydmi saluberrimam aquam lociq; commoditates Alexandrinam & Atheniensem literarum gloria superasse. Quanquam ex veteribus quidam scriptum reliquerunt Academiam locum insalubrem fuisse, cumq; Platonem propterea elegisse, vt tanquam vitis quædam corporis suam fertilitatem excinderet: discipuli verò nullam aliam sentiret voluptatem, nisi earum rerum quas discerent vt author est D. Hieronimus lib. 2. contra Iovinianum. Habebunt autem Vniuersitates in huiusmodi ciuitatibus locũ, qui ab omni strepitu & iniuria vulgi quò ad eius fieri potest separatus sit: Nam Carmina secessũ scribētis & c. *Referit.*

Basiliius fer  
mo. ad a-  
dolescent.  
Aelianus.  
li. 9. ca. 10.

Locus vni  
uersitatis  
in vrbe.

Refert disertissimus ille Iudæorum Phi-  
 lo libro secundo de vita Mosis quod se-  
 ptuaginta sacrarum literarum interpre-  
 tes diuinum & maximum opus aggressu-  
 ri, secessum aliquem & purissimum lo-  
 cum elegerint: vbi nec morbos, nec pra-  
 uos malorum hominum mores metue-  
 rent. Et Esseni Iudæi vt pietatem atq; ho-  
 nestiores disciplinas liberius sectarentur,  
 scholas suas ad lacum asphaltitè, & hor-  
 tos balsami atq; palmarum instituisse le-  
 guntur. Magistratus verò ne amæniora  
 & secretiora loca ab alijs occupentur tan-  
 to diligentius curare debebat: quanto Rei  
 pub. plus interest, vt Iuuentus bonis li-  
 teris iustituatur: si qui autem ea antequam  
 vniuersitates erigerentur occupauêre,  
 potest compellere, vti studiosis ea relin-  
 quant. Debentq; in varia gymnasia Aca-  
 demiarum scholæ partiri secundû diuer-  
 sa artium atq; linguarum studia, ne disci-  
 puli inuicem possint obstrepere vel Ma-  
 gistri: neue linguarum confusio permix-  
 ta vel vocum, aures quorundam aut mē-  
 tes à studio literarum auertat. vt Theo-  
 do. Imperat. in L. vnica C. de studijs re-  
 scripsit. Si tamen propter pestis conta-  
 gium

Barth. I. v.  
 nica. C. de  
 studijs.

Lib. II.

gium aut alias necessarias causas è ciuitate in pagum transferatur vniuersitas, retinet nihilominus sua priuilegia. Petrus Anchoranus c. cù de diuersis, De priuile. in 6.

## DE VNIVERSITATIS

RECTORE CAPVT 3.

**C**VM vniuersitas velut globus quidam sit animatum corpus representans. Vnus aliquis eligatur oportet, qui Iuri dicundo præsit, & autoritate cæteris præcellat. Corpus enim sine capite imperfectum quid & monstruosum est inquit Baldus authentica habita. C. ne filius pro patre. Et bona studia dissipari oportet si litibus ad exterorum Iudicam tribunalia Iuuentus implicetur, & ea priuilegia quæ optimi principes Vniuersitatibus tribuerunt nõ conferuentur. Quæquam Felinus in capi. ex literis ext. de Constitutionibus, arbitratur Rectorem in Vniuersitate non necessariò requiri. Hunc veteres gymnasiolorum præfectum appellabant (nam de Iudæorum Archisynagogo, de Aegiptiorum Archidote, Archimago Persarum & Indorum Buddo in singulis Academijs suo loco agemus)

Anchoranus proc.  
mio lib. 6.



## LIBER I.

gemus) Nunc ferè à supremo regimine  
 Vniuersitatis Rector vocatur. Cuius ma-  
 gnificentia & authoritas tanta est, vt ex li-  
 terarũ gloria vix maior euenire possit.  
 quippe cùm sapientia ipsa, per quam re-  
 ges regnant & prudentes iusta decernũt.  
 huius sese fascibus & imperio submittat,  
 vt Musarum sacerdos & patronus rectè  
 appellari posse videatur. Ad Rectoris ve-  
 rò huius electionem quod attinet, quem <sup>Electio</sup> <sub>Rectoris</sub>  
 admodum apud veteres Philosophos nõ  
 eodem modo gymnasiolorum præfectus  
 instituebatur, apud Aegyptios enim ex  
 sacerdotibus tantum, primò Reges, de-  
 inde Imperatores Romani constituebãt.  
 Apud Indos verò per singulorum suffra-  
 gia in demortui locum alius creabatur.  
 Nõnulli etiam præsertim apud Græcos  
 successorem designabant, vt de Platone  
 Laertius lib. 3. de placitis philosophorũ.  
 De Aristotel. Gellius lib. 13. Noct. Attic.  
 capit. 5. de Libanio sophista qui Ioanni  
 Chrysofthomo scholam tradidit. Nice-  
 phorus Ecclesiast. historię lib. 13. capi. 2.  
 scriptum reliquerunt: Sic in nostris A-  
 cademijs variæ consuetudines pro diuer-  
 sitate locorum introductæ in Rectoris e-

lectione obseruantur. Sūt enim vbi ex nobilissimis tantum eligitur Rector, Sūt vbi ex philosophorum tantum collegio siue facultate artium. Sūt etiam plurimæ vbi ex omnibus facultatibus per ordinem. In quibusdam trimestris, in quibusdam annuus hic Magistratus est. nūquam verò nunc quod mihi constare potuit, perpetuus. Hoc tamen inter omnes ferè conuenit, quod ab ea electione, quæ contra inueteratam cuiusq; Vniuersitatis consuetudinem instituitur, rectè appellari possit. Et quanquam in electionibus ferè requiritur consensus & confirmatio superioris, ne indigni aut turpes eligantur: tamen consuetudo obtinuit, vt ab Vniuersitate electus confirmatione non indigeat. Ipsi enim Doctores nō nisi dignū atq; vtilem, idoneumq; virum electuri creduntur. Si autem inter singularum facultatum Decanos aut (vt nunc ferè appellant) Intrātes electores scisma oriatur, vt duo simul Rectores nominentur, quorum alter nōlit alteri cedere: tūc consulendus superior magistratus, vt is aptiorem, quod probat Baldus Authentica

Abb. c.  
postquā de  
election.

habita

habita. C. Ne filius pro patre. Licet nunc  
in plerisq; vniuersitatibus hoc iuris vsur-  
pet Rectorali magnificentiæ renuncia-  
tur.

QVAM PRAECLARE VTI

LITERQVE FACIAT MAGISTRA-

tus, qui Vniuersitates instituit, collapsas in-  
staurat, tuetur, atq; defendit.

CAP. 4.

QVia Vniuersitates & Academię ad  
eradicandos ex animis hominum  
prauos errores, & propagandam ortho-  
doxam religionem Christianam, atque  
virtutes, conseruationemq; Rerumpub-  
licarum plurimum conducunt: cum pri-  
mis illarum rationem habere Magistra-  
tum oportet. Nam si velimus refricare  
memoriam temporum, reperiemus illas  
Respubli. diutissimè semper floruisse,  
quæ optimorum studiorum diligentem  
curam habuêre, & in quibus ingenuarũ  
artium atq; linguarum scholæ extiterũt:  
contrà verò quæ eas neglexerũt, res suas  
parũ feliciter gubernasse. Haud enim  
mini

minima pars vitæ ac foelicitatis humane  
sita est in bonis literis, quibus eruditi ci-  
ues Magistratibus obeundis, & Reipub.  
gubernandæ accommodatiores reddun-  
tur, in publicis simul & priuatis officijs  
excellunt, ciuitatesq; si nihil prohibeat,  
& constanter & peritè & foelicitè admi-  
nistrât. Quare sapientissimus ille & Reis  
publi. gubernandæ peritissimus Moses  
amicus & propheta Dei, populum suum  
Israel, quem legibus formarat, diu in pa-  
ce & syncera religione conseruaturus, in  
singulis ciuitatibus synagogas instituit,  
quibus viri sapientes, diuinas leges in-  
terpretarentur. Et Iosaphat rex Iudæ, vt  
regnum confirmaret primò: Deinde or-  
naret quoq; & verum Dei cultum lon-  
gè lateq; propagaret, anno Imperij sui  
tertio, misit viros doctos, qui per vniuer-  
sam Iudæam populum in synagogis le-  
ges docerent. Qua ratione factum est, vt  
regnum Iudæ pacatum redderet, & Re-  
spub. Iudæorum nihil amplius ab hosti-  
bus detrimenti caperet. Factus est enim  
pauor Domini super omnia regna terra-  
rum, quæ ipsi certatim munera defere-  
bant & vectigal argenti: Ipse autem Iosa-  
phat



phat rex creuit vehementer, & magnificatus est vsq; in sublime inquit scriptura secundo Paralip. cap. 17. Verum vbi traditam sibi à maioribus professionem intermitterent Iudæi, verasq; leges in synagogis interpretari cessarent, in horreos errores, & quod omnium turpissimum est, idololatriam prolapsi, in Babilonem, vt digni erant abducti sunt. Prudentissimus autem & piissimus sacerdos Esdras, post reditum è captiuitate, superiorum temporum negligentiam castigaturus, in primis sacrę scripturę libros in ordinem redegit, & collegit iterum, atq; synagogis restituit. Pericipiebat enim pro sua singulari prudētia, quod sine eruditione, & literis sacris, syncera religio, verus Dei cultus, & Reipublicę tranquillitas conseruari non possent. Sicut Sarrō Gallorum rex cum eius populi ferociã aliter compescere & in officio retinere nõ posset publica gymnasia introduxit. vt author est Berosus. Intelligebat enim ferociora hominũ ingenia institutiõẽ & bonarum artiũ cultura mitigari potius, quàm armorum metu in officio retineri posse. Laudatusq; ob id in primis

Berosus'li  
bro 5.

14 DE ACCADEMIIS

primis Ptolomæus rex Aegypti, quod  
 Alexandriae scholam omni disciplina-  
 rum genere florentem, optimisq; libris  
 refertam bibliothecam erexit. Quod  
 saluberrimum vtilissimūq; Maiorum  
 studium inuictissimi Romanorum im-  
 peratores, ne tam Reipub. necessarium  
 opus prætermitterent, imitari voluerunt.  
 Nam Iulius Cæsar post bellum civile ex  
 Aegypto in Italiam reuersus, ad ornand-  
 um imperium Romanum se conuer-  
 tit, vt quod tantis laboribus pararat, in  
 pace diu foeliciterq; conseruaret. Nulla  
 verò hoc ratione commodius fieri arbi-  
 trabatur, quàm si bonis literis ornaret,  
 augeretq; viris sapientibus. Adduxit er-  
 gò ex Aegypto insignes Mathematicos,  
 & autor fuit, vt Mathematicæ discipli-  
 næ in Italia colerētur, amplissimas quo-  
 que Græcas & Latinas bibliothecas ere-  
 xit. Augustus verò omnium prouincia-  
 rum quas imperio adijcere potuit, Iuuen-  
 tuti optimos præceptores dedit, vt non  
 minus accuratè educati eruditiq;, quàm  
 proprii filij, in Romanorum fidelitate et  
 legibus perdurarent. Traianus Nerva,  
 vti in vita eius Dion Cassius Niceus re-  
 fert,

Suetonius

fert, multa in emendationem publicorū  
 negotiorum constituit: in scholarum ve  
 rō & puerorum sustentationem pluri  
 ma, Quare ad restituendum bonas artes  
 & diuini humaniq; iuris prudentiam cœ  
 litus à Deo missus credebatur, vt Autor  
 est Sextus Aurelius Victor. Adrianus ve Lampridij  
us & Ca  
rion.  
 rō quia in Academijs omniū artiū atq;  
 linguarum clarissimos professores, &  
 florentes bibliothecas dedit, imperium  
 Romanum in optimam formam restitui  
 sse, & nullus post Augustum tam utilis  
 Reipub. imperator extitisse prædicatur.  
 Constantinus ille magnus omnia bona Vespurgem  
fis.  
 rum literarum studia florere voluit, par  
 tim vt religionē Christianam longē la  
 teq; propagaret: partim etiam vt per ea  
 imperio Romano rectius consuleretur.  
 Sicut Iulianus Apostata religionē Chri- Augustin;  
libr. 18. de  
Ciuit. De  
cap. 52.  
 stianam, vt sperabat euersurus, scholas  
 ademit, & bonas literas discere vetuit.  
 Theodosius verò, vt refert Calixtus lib.  
 14. Ecclesiasticæ historiæ cap. 3. Omnes  
 hæreses, quæ Ecclesiam Christi miserè  
 vexarant, proscripserunt, sacrorum libro  
 rum, eorundemq; interpretum conqui  
 rendorum tam studiosus fuit, vt ea lau  
 de Pte



de Prolomæo inferior non esset. Italica-  
rum rerum scriptores ( vt ad nostra etiã  
tempora reuertamur ) Nicolaum quin-  
tum. Leonem 10. Pium 2. Et præter alios  
quosdam Pontifices Romanos, clarissi-  
mum illum Cosmam medicum Floren-  
tinum, cùm alijs multis in rebus: tum eò  
potissimum optimè de Republica meri-  
tos fatentur, quod doctos & literatos vi-  
ros ex Vniuersa Græcia & Italia, ad iu-  
uentutem græcis latinisq; literis institu-  
endam præmijs amplissimis euocarint.  
Factum enim eorum liberalitate & indu-  
stria est, vt adolescentia se ad politiorum  
literarum studia referret, quæ permultas  
iam ætates ob perpetuas bellorũ clades,  
quas Italia à Barbaris nationibus pertule-  
rat, obsoleuerant, atq; in eo fortunatos  
fuisse ferunt, quibus contigerit (id quod  
maximè optandum erat, qui Reipubli-  
cæ consulere, & ex hominum sermone  
famam nomenq; immortale collige-  
re cuperet) illis vt temporibus florerent,  
quibus reuiuiscere literæ, quarum ferè ex-  
erat intermortua laus & liberales disci-  
plinæ cœperunt. Maiores ergo nostri  
prudentissimi pijsimiq; viri, ea semper  
in sena

in sententia fuere, ut non ad imperij so-  
 lum splendorem: sed fidei quoq; & reli-  
 gionis orthodoxæ propugnationem, re-  
 formationemq; Ecclesiæ catholicæ ab a-  
 cademijs & bonarum artium studio de-  
 pendere iudicari est. Quapropter postquã  
 animaduertent hereses tam latè per to-  
 tum ferè orbem dispergi, quòd in omni  
 artium atq; linguarum genere admirabi-  
 liter exculti viri, earum defensionem sua-  
 fore diabolo susciperent, sicut de Valen-  
 tino, Donato, Sabellico, Pelagio, Arrio,  
 Ioanne Philopono, & philosophis, qui  
 in Concilio Nicæno acerrimè repugna-  
 bant, fidelissimi historici nostri memo-  
 riæ prodiderunt: plurimas & ipsi scholas  
 ut in eis bonæ artes traderentur erexerunt,  
 multasq; Academias maximis sumptib.  
 fundarunt. Ipsi quoq; pro incredibili in  
 Rempub. amore professi sunt, ut in si-  
 gulis Academijs breuiter aperiemus.  
 Qua quidem ex re & illi ipsi immorta-  
 lem in omni hominum memoria lau-  
 dem, æternamq; foelicitatem consecuti  
 sunt: & Ecclesia Christi doctissimos sem-  
 per propugnatores habebat, qui hæreti-  
 corum fraudes differendi peritia, copia,

vbertateq; dicendi animaduvertere pri-  
 mò, deindè eisdem artibus, quibus con-  
 structæ erant, dissoluere, & antequàm  
 os fallaci conclusione implicarent, qua  
 in parte vitiû lateret, explicare possent.  
 Vt enim quis distinctè cernat, ad quam  
 potissimùm rem vitiosarum argumen-  
 tationum explicatio referèda sit, nisi pri-  
 us modos omnes, quibus struuntur & fi-  
 unt exploratos habeat, fieri certè id qui-  
 dem non potest. Doctissimi verò Eccle-  
 siæ Patres, Iustinus, Clemens, Lactantius,  
 Cyprianus, Hieronymus, Augustinus,  
 Chrysostomus, &c. quia diuinarum &  
 humanarum rerum inuestigatricè phi-  
 losophiam egregiè didicerant, Philoso-  
 phorum & hæreticorum nugas faciliè e-  
 uerterunt. Nec ita omninò regi possunt  
 vitiosarum argumentationum fallaciæ,  
 quin si ad præclaram indolem perspicu-  
 citatemq; ingenij, doctrina, quæ vim in-  
 fitam promoueat, accesserit, deprehendi  
 & explicari queat. Basilus autem Ma-  
 gnus in epistola ad Episcopos Italiæ &  
 Galliæ, quæ numero 70 est inter reliqua  
 Ecclesiæ Orientalis mala, hoc in primis  
 deplorat, quod nulli Christianorum coe-  
 tus, nullus

tus, nullæ Doctorum præfidentia, siue  
 ut mihi quidem videtur, prælectiones fi-  
 erent. Nam propterea traditiones Pa-  
 trum, orthodoxa fides, & vera religio in-  
 teribant. Quare Reuerendissimi Patres,  
 in Concilio Lateranensi (sicut à Beatissi-  
 mo Clemente Papa quinto in Concilio  
 Viennensi quoq; decretum est) Acade-  
 mias & bonarum artium studia diligen-  
 ter cõseruari: atq; promoueri debere sta-  
 tuerunt. Saluberrimam verò Concilij  
 Tridentini hac de re constitutionẽ, quia  
 & notior ea propter temporis memoriã  
 est, omniumq; manibus versatur: & hæc  
 prima disputatio nostra ad iustã magni-  
 tudinem excreuit, huic loco inserendam  
 non putavi. Notius enim profectò est,  
 quàm à me hoc tẽpore demonstrari pos-  
 sit, quod cum bonis literis res quoq; in-  
 terire: hæreses & perniciosi errores intro-  
 duci, & homines in summa ignorantia  
 versari soleãt: cum ipsis verò vberrimos  
 fructus & maximas utilitates in Remp.  
 Christianam præuenire. Ut quorundam  
 hominum temeritatem & impudentiam  
 demirari non possim, qui humaniores  
 artes, quibus nec dari melius à Deo, nec



optari maius ab hominibus potest, contemnere, & tam necessarias Academias prorsus euertere conantur, à quibus omnem suam fortunam, atq; eam ipsam, quà nunc ingratisissimi oppugnant, eruditionem hauserunt. Quod nisi facere destiterint, breui futurum spero, ut Musæ gloriam suam per se ipsas tueantur, talemq; in Academijs vocem addant, quæ multa etiam post secula exaudiat: et posteros commonefaciat, nō esse ullam rationem disputare aduersus ipsam disserendi magistratam, & quàm rudes sint nō argumentandi solūm, sed etiam rerum inuestigandarum ac veritatis indagandæ, à quibus Musæ oppugnantur: Doctissimi autem viri eos sic reprehendat, ut voluptatem quam malè dicendo fortè ceperunt, quod ea, quæ contra ipsos afferentur sustinere nō possint, malè audiendo amittant. Nunc verò quo utiliores sunt, & quanto magis hodiè improbissimorum quorundam inuidia laborant, tantò diligentius sunt fauore præsidioq; Principum subleuandæ, erga quos nequaquam ingratis futuræ sunt si defendantur: quod vel regis Iosaphat exemplū iam



iam antè allatum declarat. Præcipuè ve-  
rò fauendum illis studijs, quæ conducūt  
ad pietatem, Christiq; principis & docto-  
ris nostri gloriam.

QVANTVM REIPVBLI-

CAE VTROQVE ET PACIS ET

*bellorum tempore semper utilitatis*

*attulerint bonæ literæ.*

CAPVT 5.

**M**Ihi quidem multa eximia diuina-  
que videntur Athenæ peperisse,  
inquit apud Ciceronē Atticus: tum nihil  
melius hominum vitæ attulisse illis my-  
sterijs, quibus ex agresti immaniq; vita  
exculti ad humanitatem, & mitigati su-  
mus: initiaq; ut appellatur ita reuera prin-  
cipia vitæ cognouimus. Neq; solum cū  
lætitia viuendi rationem accepimus, sed  
etiam cum spe meliore moriendi. Nam  
bonarum artium mater Philosophia pri-  
mò vrbes peperit, & beluinos dissipatos-  
que homines in vnū locum, vt ciuitates  
appellarentur, literarum & vocum com-  
munionem coniunxit, atq; inuentrix le-  
gum, morumq; & disciplinæ magistra  
fuit. Easq; sola adhuc vias demonstrat,  
quomodo pax in Ciuitatibus, & in Rep.

B 3 tranqui-

tranquillitas foris & domi quàm diutissimè conseruari, tumultus verò & cruentia bella, vel caueri, vel rectè administrari, foeliciterq; finiri possint. Quæ duo hoc capite paucis sic proponemus, vt nemo sit, qui per se deprehendere non queat. Valerius ergò Maximus vbi docuisset quantum clarissimorum Imperatorum, & optimorum ciuium virtutes Reipub. profuissent: in hâc sententiam prorumpit. Est & alia vehemens & constans militia, literis pollens, venerabilium doctrinæ sacrorum Antistes Philosophia, quæ vbi pectore recepta est hominum, inhonesto atq; inutili affectu depulso, totum in solidæ virtutis munimento confirmat, potētiusq; metu ac dolore (quod Reipub. & vile, & necessarium est) facit. Sicut egregiè mihi perspexisse videtur Tyberius, qui Mauritio imperium Romanum traditurus sic eum alloquitur apud Nicephorum lib. 18. Ecclesiasticæ historiæ cap. 6. Tu verò Mauriti potestatis insolentiam ratione fac frenes, & philosophiæ artibus sapientiæ scapham gubernes, purpuram perinde ac vilem pannū tibi iniectum esse per philosophiæ studiū existi-

existima. Coronam, quæ caput cingitur,  
nihil à lapillis, qui circa littus fluctibus  
alluuntur, differre puta. Et Leo Pap. 10.  
in epistola quadam ad Henricum An-  
glorum regem Extat, inquit, quoddam  
nostrum studium ergà homines doctos  
& huiusmodi literas, quæ & re sunt ipsa,  
& appellantur bonæ, & animi affectio  
singularis, innata quidem nobis à pueris  
& domestica disciplina confirmata: sed  
ætate progrediente etiam iudicio aucta,  
tum quod homines, qui artes & bonas li-  
teras sectantur, minimè malos esse inte-  
gerrimâq; fide præditos sæpè iam exper-  
ti sumus: tum quod ab hac scientia, & san-  
ctæ Ecclesiæ doctorum eloquentia sci-  
mus maxima non adiumenta modò: ve-  
rùm etiam ornamenta in Christianam  
Remp. profecta fuisse. &c. Quod etsi tã  
philosophorum quàm sanctorum patrũ  
apertis testimonijs confirmare possem:  
tamen quia à studiosissimis viris iam an-  
tè partim alibi allata sunt: partim apud  
Gratianum 37. & 38. d. st. nct. recitata re-  
periuntur: nos exempla quædam illustri-  
ora, quibus imperitiores hoc tempore  
plurimum commouentur proferemus.

Indicarum ergò Aethiopicarumq; rerum scriptores literis prodiderunt, illos populos fateri, quod liberales artes & gymnosophistarum sapientia, vtilissima semper & in primis necessaria fuerint. Qui propter amicitiam & commercium Deorum immortalium ficitates, ventos, pluuias, morbosq; prædicere, & quæ etiam apud inferos agerentur, rimari, & Reipub. salutaria in apertum proferre potuerint. Romanus verò populus cum post exactos reges à Patribus propter quasdam simultates defecisset, nec deformis solùm: sed etiam miser imperatricis vrbs stans esset, à capite reliquis partibus per seditionem auulsis, nisi Valerius sapientissimus philosophus, maximus Orator, summa industria, & maximo labore ad saniora consilia reuocasset, sacri imperij spes citra controuersiam in ipso penè ortu suo corruisset. Aristoteles Stagiritis tantum apud patriam suam beneficium posuit, vt eam ab hostilibus armis solo æquandam Macedonum manib. eriperet. Hipocrates expertissimus medicus, cum pestis vniuersam ferè Græciam absumeret, cõtra aërem infestum, vnde

Valer. Maxim. lib. 8. cap. 9.

Idem li. 5. cap. 6.



vndè ea oriebatur, ingentem syluam exuri iussit, seruauitq; hoc pacto Græciam incolumem, quam omnes illiterati conseruare non potuissent. Antoninū Piū Iustini philosophi & martyris pro Christianis oratio. Valentem partim Themistoclis philosophi, de orthodoxorum Patrum in negotio religionis concordialiber: partim Basilij eruditio, à furore & incredibili in Christianos odio sic reuocant, vt ipsos quidem contra pietatem, & vera religione atq; bonis literis egregiè confirmatos viros, vltèrius progredi & ferocire puderet: Reliqui verò Romanorum Imperatores, illas Respubli. vbi bonæ literæ florerēt, optimis priuilegijs, atq; libertatibus, propter maximam earum vtilitatem, præ cæteris ornarent. vti doctissimorum virorum de priuilegijs commentarij declarant: & nos in singulis academijs ferè demonstrabimus. Fieri enim prorsus non potest, quin plurima ad Rempub. cōmoda veniant, si moderatrix omnium rerum præsto est sapientia, quæ & officiorum omnium, & bene beateq; viuendi etiā citra leges rationem continet. Vt rectè Aristippus dixerit,

Socrat. li.  
4. histor.  
cap. 32.  
Theodor.  
li. 4. ca. 19  
Nicephor.  
li. II. ca. 18



Artium v-  
tilitas in  
remilitari

rit. Et si omnes leges interirent, posset a-  
men philosophos æquabiliter viuere, &  
alijs rectè viuendi rationem præscribere.  
Quòd verò liberalium artium atq; lingua-  
rum doctrina, scientiæ militari & rebus  
bellicis (vt secundo loco proposuim) erat)  
vtilissima semper & propè necessaria fue-  
rit, duobus ferè integris libris Strabo, &  
Polybius Megapolitanus lib. 9. historia-  
rum elegantissimè copiosissimeq; com-  
probarunt. Et vniuersa Græcia tempore  
Xerxis regis Persarum reuera experta est,  
quando illam solus Themistocles philo-  
sophus metu Persico liberauit, & poten-  
tissimum hostem, qui cum infinita lectis-  
simorum virorum multitudine in Græ-  
ciam venerat, turpiter in Persiam redire  
coëgit. Quare summæ ipsius laudes præ  
reliquis omnibus Ducibus, quos Græcia  
clarissimos habuit, referuntur, Què cum  
ingratissimi Athenienses vrbe expulerunt,  
nihil laude dignum gessere. Themistoclis  
verò apud Xerxem tanta autoritate fuit,  
vt diceret non posse malum aliquod gra-  
uius optare se suis hostibus, quam hac de-  
mentia excæcati huiusmodi sapientes vi-  
ros à se alienarèt. Sicut Thebani, Epami-  
nonda

Epaminō-  
das.

nondæ grauiffimi philofophi clariffimi  
 que Ducis prudentia, cæteris ciuitatib.  
 præcellere & imperare potuerunt: fed eo  
 mortuo in priftinâ feruitutẽ relapfi funt  
 vt Thebanorũ gloria cũ illo nata & rur-  
 ſus extincta videretur. De clariffimo & *Demosth*  
 verè pfecto oratore Demosthene in po- *Lucianus .*  
 tentiffimorum Macedonię regum com *de laudib.*  
 mentarijs ſcriptũ reperitur. Fœlix & bea *Demosthe*  
 ra vrbs, cui talisciuis contigit: Si vnus nõ *nis.*  
 fuiſſet Athenis Demosthenes, faciliũ  
 potiti fuiſſemus ea vrbe, quã Thebis aut *Egregium*  
 Theſſaliã, Nam vnus ille vigilat inten- *principis*  
 tus in oẽs occaſiones, & noſtros obſeruat *exemplar,*  
 impetus, & inſtructus aduerſus noſtra  
 conſilia, nunquam fallere, nec agendo,  
 nec inſidiando, nec cõſulendo poſſim9,  
 hic inuitos excitat, & Mandragora ſopi-  
 tos expergefãcit, ac velut ſecans & vrens  
 caſtigat ignauia ſumma libertate, nihil  
 ad gratiam dicens, publicas pecunias,  
 quæ antè in ludis diſſipabantur confert  
 in ſtipendium, conſcribit claſſem, quæ  
 penè perierat confuſione veterum tri-  
 butorum, vrbe, quæ nihil ampliũ  
 generoſè cogitabat, reſtituit in priftinã  
 dignitatem. Excitauit ciues fractos ad  
 imita

imitationem gloriæ maiorum, & Græcos inter se societate & fœdere deuinxit. Hunc ergo magis formidare oportet, quam omnes triremes & vniuersam græciam &c. Vt verè dixerit Phocilides.

Robusto sapiens longè præstare videtur.

Nam L. Paulo aduersus Persarum regem bella gerente, luna subitò serena nocte defecisse legitur, eoq; velut diro quodam monstro perterritus exercitus Romanorum, manus cum hoste conferrere non audebat, verum Gallus Sulpitius de cœli ratione, & natura syderum ornate & eleganter differens, alacrem eum in aciem misit, atq; inclitæ Paulinianæ victoriæ liberales artes Galli aditum dedere, Nisi enim Gallus philosophus metum Romanorum militum vicisset, Paulus Imperator hostes vincere non potuisset, inquit Valerius lib. 8. cap. 11. Narrat in methodo historiarû Bodinus, Quod Selimus Turcarum Imperator commentarios Cæsaris primus in vernaculam linguam transferri curarit, & eius bellandi arte instructus, breui magnam Aphricæ & Asiæ minoris partem cum Imperio maiorum coniunxerit. Sicut Mithridates rex

Pulchre  
hac de re  
Fabius li.  
I. Institut.  
cap. 18.

tes rex Ponti grauiſſima bella præter omnem expectationem confeciſſe creditur, quia multarum artium atq; linguarum ipſe peritus erat & præſtantiſſimos philoſophos ſemper in exercitu adhibebat. Propterea Alexander Seuerus auctore Lampridio, quando de iure & rebus imperij controuerſia erat, ſolos Literatos in conſilium adhibere ſolebat: ſi uero de re militari, præter veteranos milites, literatos quoq; præſertim hiftoriarum peritos aduocabat, requirens quid in talibus cauſis veteres imperatores utiliter egiſſent. Quemadmodum & uniuerſi terrarum orbis flagellum Gothi in eam curam diligenter incubuere, ut doctiſſimos ſecum viros haberent. Nam quantum unius ſæpè literati prudentia & auctoritas in conſeruanda Repub. ualeat, teſtis eſt imperatrix Roma. Cùm enim Caſtilina arma nocturna, & flammas domibus templiſq; pararet, & nemo Romanorum ciuium patriam conſeruare, ac hoſtibus, qui eam prorfus euertere conabantur, reſiſtere propter eorum potentiam auderet, ob ſingularem eruditionem & eloquentiam, incredibilemq; in agendo dexte-

*Vrſpurge.*  
& *Pliniſ*  
ſecundus  
de uiris illuſtribus.

*Vrſpurge.*  
in *Chroniſ*  
cis.

*Eruditi*  
plurimum  
in *Repub.*  
valent.



dexteritatem.

Iuuenalis  
satyr. 8.Volater.  
lib. 16.Zonaras  
lib. 3. anna  
lium.Volater.  
lib. 21.

Roma parentem  
 Roma patrē patrię Ciceronē libera dixit  
 Testis quoq; nobilissima Constantino-  
 polis est. Philippus enim rex cū Byfan-  
 tium deleturus adueniret, Leo Bylandi-  
 Platonis auditor, & nobilis sophista. Dic-  
 agē, inquit, Philippe, qua tu causa mee-  
 nia nostra oppugnaturus aduenisti? Cū-  
 que Philippus responderet, amor patrię  
 tuę huc pertraxit, at amantibus, inquit  
 ille, instrumenta musica haud bellica cō-  
 ueniunt, quare placatus rex, statim ab vr-  
 be discessit, Quam ego rem Græcorum  
 imperatores permouisse credo, vt regiã  
 quandam domum fundarent, qua duo-  
 decim doctissimi viri, de quorum senten-  
 tia consilium capere possent, alerentur.  
 Illustrissimus præterea Ioannes Galea-  
 tus acerrimus Florentinorum hostis di-  
 cere solebat, plus sibi detrimenti afferre  
 Colutij Pierij, oratoris, poetæ & Florenti-  
 nę Reipub. tabellionis doctissimas epi-  
 stolas, quàm mille alioqui equites arma-  
 ti. Vt rectè profectò Alphonfus Arago-  
 num rex mihi respondisse videatur, Ne  
 scire quidem se vtrum maiorē gratiam  
 lice-



literis an armis deberet, quod ex literis arma & armorum vsum didicisset. Cùm ergò diuinarum humanarumq; rerum mater philosophia, ipsas ciuitates conſtiterit, auxerit, atq; conſeruarit, ac vtroq; pacis & bellorum tempore ſine bonis literis rectè gubernari non poſſint: quantum à grato magiſtratu ea viciffim honorari debeat, res ipſa loquitur, & nos ſequenti capite breuiter aperiemus.

## DOCTOS VIROS MERITO

HONORARI ET STUDIO SAM IV

*uentutem educari, atq; defendi à Magiſtratu debere.*

## CAPVT SEXTVM.

**I**Socrates ad Nicoclem regem: Còrda ſtos inquit, & qui longius proſpicere poſſint, magni facito: perſuaſum habès bonos conſiliarios vtiliſſimam & rege omnium digniſſimam eſſe poſſeſſionè. Rurſus in epiſtola ad Mitilencorù principes diligentiffimè in re publica conſiderandum eſſe præcipit, vt magni in primis faciant bonos & iuſtos rerumpub. gubernatores: proximum honoris gradum tribuant eruditis, qui ciuitatibus ornameto, honori & auxilio eſſe: easq; vel

conſer-

Exilium e  
ruditiōis  
gracia.

conseruare, vel funditus euertere possint. Quod mihi quidem suo iure à Rep. postulare doctissimi viri posse videtur. Quorum alios bonarum artium, quas in patriam inferrent, studio, vltimas terras lustrasse accepimus, sicut de Platone, Pythagora, Democrito, libro quarto Tullianarum quæstionum Cicero scribit: vt rectè affirmare possint Ciuium nostrorum gratia

Nos patriæ fines & dulcia linquim<sup>9</sup> arua. Alios Reipub. iuuandæ ornandæq; causa, propè supra naturam, vigilias suscipere, & neglecta tam valetudinis, quàm rei familiaris ratione, famem sitimq; intolerabile frigus & æstum libenter perferre, maximisq; curis & laboribus consumi, et si res ferat, fortiter pro patriæ atq; ciuium suorum salute vitam profundere videmus. Vt rectè cum Ouidio respondere possint.

Me quoq; debilitat series immensa laborum.

Ante meū tempus cogit & esse senem. Lycurgus enim Lacedæmoniorum Legislator vt ea Respub: suis legibus diutissimè floureret, perpetuum exilium suscepit. Et

pisse. Et Crates Theban. vt nudas virtu-  
 tes pauper melius acquireret, atq; in pa-  
 triam inferret, omnia sua reliquisse legi-  
 tur. Polybius autem Megapolitanus li-  
 bro historiæ suæ 3. Non aliam, inquit, ob  
 causam tot labores & pericula peragra-  
 da Africa & Hispania, prætereà etiam  
 Gallia suscepimus: quã vt veterum scri-  
 ptorum ignorantiam emedantes, eas  
 orbis partes hominibus nostris, quã no-  
 tissimas redderemus. Democritus verò  
 octoginta integros annos literarum a-  
 more patriã abfuisse creditur. Sed que te  
 ad hanc rem Democrite ratio impulit,  
 an vt opes & diuitias congereres? sed eas  
 cum plurimas haberes patrię studiorum  
 instaurandorum gratia reliquisti. An vt  
 honores amplissimos cõsequereris? sed  
 eos Philosophus debuisti contemnere.  
 Relinquitur ergò, quod Reipublicæ iu-  
 uandæ causa abfueris. Neq; hoc philoso-  
 phi tantum, in quibus alioqui mirum vi-  
 deri poterat, sed celeberrimi quiq; Ec-  
 clesiæ nostræ doctores fecêre, sicut de O-  
 rigine, Diuo Hieronymo, Augustino,  
 Epiphanio, Clemête & c. omnes histori-  
 ci tradiderunt. Basilius verò ille Magn<sup>o</sup>

Euseb lib.  
 10. prepar.  
 Euangeli.  
 cap. 2.  
 Clemens  
 lib. 1.

Valer. li. 8  
 cap. 7.

C bono

In patriæ  
encomio.

Docti post  
mortem  
honorati.

Mithrida  
tes.

bonorum studiorum gratia, quibus Ec-  
clesiam aduersus hæreticos defenderet,  
in Aegyptum, Syriam, Persiamq; pro-  
fectus est, & grauissimos inde morbos  
Philosophum fatetur. Rectè ergò Lucia  
nus in ea se sententia permansurum pro-  
fitetur, vt credat in hoc solummodò in-  
genuarum artium cognitionem, erudi-  
tos viros comparasse, ne patriæ indecor-  
res, sed multò vtiliores euaderent. Quæ  
propter in media etiam barbaria crude-  
lissimæ gentes, doctos viros & bonarum  
artium studiosam iuuentutem mirificè  
semper coluerunt, honorarunt atq; de-  
fenderunt. Nam quanto in honore apud  
Aegyptios sacerdotes, apud Babilonios  
Chaldei, apud Indos Gymnosophistas,  
Magi apud Persas, fuerint, in singulis es-  
arum gentium Academijs à nobis est de-  
monstratum. Neq; viuis tantum, sed mor-  
tuis quoq; honores decernebant, tam eo-  
rum scripta, quàm imagines & statuas in  
bibliothecis publicis et priuatis asseruan-  
tes. Nam Mithridates rex Ponti Athē-  
nis imaginē Platonis dedicasse legitur.  
Sicut Alexāder Seuerus imperator, Ver-  
gilij



gilij & Ciceronis imagines in larario habebat, authore Lāpridio. Erſi Caius Caſſius ligula eas ex omnibus bibliothecis, ut ipſe ſolus honoraretur, exterminare voluerit. Vniuerſa verò Græcia Leontino propter ſingularem eruditionem, ſtatua ex auro, in templo Apollinis Delphici collocauit, cum cæterorum hætenus au-  
 raras poſuiſſet. Macedones verò quomodo Euripidis Poetæ mortui, oſſa & ſepulchrum honorarint, ipſius epitaphiũ declarat.

Valer. lib.  
8. cap. 16.

Gellius 15  
Noct. Actæ  
car. ca. 20.

οὐποτε σοι μνῆμα εὐριπίδης ὄλετο πῶδ.

Nunquam tua memoria, tuum monumentum

Euripides peribit.

Crotoniata Pythagoram dum viueret præ omnibus venerati ſunt: poſt mortem

Volaterra  
nus lib. 18.

verò domum ipſius, Cereris ſacrarium fecerunt. Sicut Epicteti philoſophi lucernam fictilem tribus drachmarũ millibus emptam fuiſſe Lucianus refert. De glorioſiſſimis Romanorum Imperatoribus quid dicam? quantum illi pro ſua pietate literatos cæteris hominibus prætulerint, omnium ferè vetuſtiſſima optimorum authorum monumenta, & pri-



uilegia, atq; immunitates quas Acade-  
 mijs & studiosę iuuentuti contulere, de-  
 clarant. Prædicat Suetonius Tráquillus  
 Augustum, quod eruditos viros magno  
 honore affecerit, & ingenia puerorum  
 fouenda curarit. Alexandrum Seuerum  
 Lampridius, quod in omni consilio do-  
 ctos viros cæteris imperij ordinibus præ-  
 tulerit. Panormitanus Alphonsum Ara-  
 gonix regem, quod vel militibus suis,  
 qui libros repertos afferrent, magna mu-  
 nera donarit, ipse verò apertum librum  
 pro symbolo gestarit, re ipsa declaras in-  
 genuarum artium doctrinã regibus in-  
 primis necessariam esse. Cùm autem ali-  
 quandò ad Ouidij Nasonis patriam vi-  
 ctor venisset. Ego, inquit, huic regioni,  
 quæ non parua regni Neapolitani, nec  
 contemnenda pars est, libèter cesserim,  
 si temporibus meis datũ esset, hunc Poë-  
 tam vt haberent, quem mortuum pluris  
 ipse facio quàm Aprucij dominatũ. Ca-  
 ietam verò oppugnaturus, saxa & tormẽ-  
 ta, quibus vehementer eo tempore indi-  
 gebat, ex viciniore agro depromi iussit,  
 sed vbi villam Ciceronis fuisse intellige-  
 ret, malle se inquit, tormentis nunquam  
 vti,

Ouidij pa-  
 tria hono-  
 ratur.

Ciceronis  
 villa.

uti, quàm eam villam violare. Quemadmodum & Sigismundus imperator ab imperij principibus reprehensus, quod literatos viros altius prouehere videretur. Ego verò eos inquit amo, quos natura alijs antestare voluit. Porrò viri philosophi non solum in consilijs capiendis, & dextrè, fœliciterq; grauissimis legationibus obeundis suam operam nauare Imperatoribus potuère: verùm etiam eorum res gestas, præclarè dicta, factaq; ad posteritatem cum dignitate transmittere, vt multi ad eorum imitationem excitarentur. Rectè enim M. Cic. scribit tantas omnium virtutes esse, quantas videri eas voluerint, qui vniuscuiusq; facta descripserunt. Quare Alexander Magnus vbi ad Achillis sepulchrum venisset grauius ingemiscēs, O fœlicem te inquit, iuuenem, qui Homerum tuarum virtutum præconem reperisti vt autor est Flauius Vopiscus in vita Probi. Et Ennius Poëta gratam sui in epitaphio memoriã renouaturus.

Aspicite ô ciues senis Ennij imaginis formam  
Hic vestrùm panxit maxima facta Pa-

Sigismundi Imperatoris præclara sententia.

Cic. li. i. Tusculan. quæstion.

Sicut Horatius libri 3 carminum ode  
13. fontem Blandusium se authore im-  
mortalem fore pollicetur. Nam docto-  
rum virorum elaborati commentarij,  
optimorumque Poetarum versus multa  
to diuturniorem memoriam gignunt,  
quàm statuæ aut Pyramides.

Horat. li.  
3. Ode vlt.

Exegi monumentum ære perennius  
Regaliq; situ Pyramidum altius.  
Quod non imber edax, non aquilo  
impotens

Possit diruere, aut innumerabilis  
Annorum series, & fuga temporum.  
Rursus lib. 4. ode 8. Quid foret Iliæ  
Mauortisq; puer, si taciturnitas  
Obstaret meritis inuida Romuli?  
Dignum laude virum Musa vetat mori  
Cælo Musa beat &c.

Quoniam ergò Doctissimi viri bona  
rum literarum præsidio, Principum &  
Rerumpub: curas & negotia deuorare:  
atq; perpetuam ipsis apud gratam poster-  
ritatem memoriam parare possunt: me-  
ritò ab ipsis iterum honorantur. Alio-  
qui à docendo resiliunt, & in alia gratios-  
ra loca non sine grauissimo earum vrbis  
um dedecore, & maximo sæpè detrimen-  
to pro

to proficiscuntur. Nam quia artibus in-  
quit Iuuenalis honestis,

Nullus in vrbe locus, nulla emolumen-  
ta laborum

Satyrā 3.

Res hodiè minor est, heri quàm fuit, atq;  
eadem cras

Deterret exiguis aliquid, pponim<sup>9</sup> illuc  
Ire, fatigatas vbi Dædalus exiit alas.

Et Satyra 7. (dre

Pœnituit multos vanæ sterilisq; cathe-

Sicut Trasimachi, probat exitus, atq; se-

cundi  
Carinatis, & hunc inopē vici distis Athenę

Nil præter gelidas, ausæ cōferre cicutas.

Aut si maximè fortunæ iniuria, n̄ ferre

re, & in officio & Reipub. negotijs peri-

stere velint, optimi clarissimorum auto-

rum libri propter sumptuum magnitu-

dinem pereunt, qui Magistratus libera-

litate ab ipsis in lucem proferri potuif-

sent. Iuuenalis satyra tertia.

Iamq; vetus Græcos seruabat cista libel-

los  
Et diuina opici rodebāt carmina mures.

Imperante autem Constantino pluri-

ma studiosissimorum hominum inge-

nia floruerunt. Ipse enim Imperator bona-



Basilij stu-  
dium cir-  
ca iuuen-  
tutem.

rum literarum studiosus, eruditos viros liberaliter colebat. Nam vt temperies & elementia aëris copiam atq; vbertatē frugum: sic humanitas & munificētia Principum bonas artes, excellentiaq; ingenia producit. Sicut tempore Basilij Magni per Cappadociam multi doctissimi viri extitisse leguntur, quia omnes Cappadocum filij, vt cum pietate bonas artes coniungerent, & liberaliter instituerentur: eruditi verò ad maximos honores peruenirent diligentissimè curabat, vt epistola quadam ad Libanium sophistam videre est. Quod si nostri Episcopi, quorum id maximè officium postulabat, imitaretur, plures fidei & religionis Catholice propugnatores: pauciores hæreticos haberemus.

## QUANTVM REIPVB. IN-

TERSIT IUVVENTVTIEM A BONIS præceptoribus rectè institui.

### CAPVT 7.

**M.** Cicero libro 2. de diuinatione: Nullum inquit munus Reipub: afferri maius meliusq; potest, quàm si doceatur erudiaturq; iuuentus. præcipua enim Reipub: salus sita est in educatione puerorum.



puerorum, id quod prudēter docuit Xenophon in institutiōe Cyri. Nam rectē educatus, bonisq; moribus recoctus adulescens Authore Platone diuinum quoddam animal euadit: perperam verò institutus, aut etiam neglectus in immanissimam beluam degenerare solet. Vt rectē Latinorum poeta Vergilius.

Iam vitulos hortare, viamq; insiste domandi

Dum faciles animi Iuuenū, dum mobilis ætas

Adeo in teneris consuescere multū est.

Et Iuuenalis Satyra 14.

Gratum est quod patrię ciuem, populoque dedisti

Si facis vt patrię sit idoneus, vtilis agris  
Vtilis & bellorum & pacis rebus agēdis.

Plurimum enim intererit, quibus artibus  
aut quibus hunc tu Moribus instituas

Quare Iudæi & Græcorum omnium sapientissimi Athenienses, Iuuentutis suę in Repub. diligentissimam rationē habuerunt. Videbant enim eam ætatem turbulētissimis affectibus agitari, & plurimis redundare cupiditatibus, maxime que necessarium esse sic institui, vt hone-

stis studijs, & actionibus laboribusq; qui cum honesta vtilitate coniuncti essent, delectari assuescerent: bonarum artium studio formati, vtilis patriæ ciues euaderent. Verùm vt hanc Maiorum suorum in instituenda Iuuentute industriam negligere cæperunt, ipsam quoq; Rep. haud parum detrimenti accepisse scribit Isocrates. Iuuentus enim Reip. totius seminarium, vti nũc affecta est: ita vniuersam ciuitatẽ statim euadere oportet, vnde Horatius Reipublicæ Romanę perpetuam foelicitatem præcaturus.

Dij probos mores docili iuuentæ Romulæ genti date, remq; prolemq;

Vt enim quispiam vtilis Reip. ciuis euadat, qui vera religione & bonis artibus non imbuitur, fieri certè id quidem non potest. Nam quia Philosophia animi nostri medicina est, vitiorum omnium expultrix, æqui & iniqui, veri & falsi dux & magistra: certè hanc percipere oportet illos, qui ciuium controuersias iudicaturi sunt, alioqui iudicium veri & finem bonorum non intelligent. Nec Authore Cic. alia sunt rudimenta & incunabula virtutis, quibus animi hominum ad pietatem, iustitiam

Aristot. li.  
6. Politic.

stitiam & rerum publicarum gubernationem accenduntur. Vt satis demirari non possim extremam eorum temeritatem, qui brutis animantibus instituendis labores & sumptus infumunt, de puerorum (quæ omnium præciosissima possessio est) educatione parum solliciti. Aduersus quos Hippodamus Pythagoreus verissimè disserit. Quod nã, inquit, est fundamentum Reipub? adolescentiæ educatio. Haud enim vnquam vites utilè fructum protulerint, nisi excolantur, nec vnquam pulchri fient equi, pullorum educatione neglecta: vites verò, quo pacto putari, curariq; debeant, atq; educari canes, studium est hominibus, Ingeniorum autem humanorum cultus negligitur, & temerè tractatur, quamuis vinum & equi non regant ciuitatem, sed homo & hominis animus. Multum profectò Reip. interest (nisi sceleratos prorsus & furiosos ciues habere malit) quibus à teneris assuescat, & inter quos versetur ea ætas, quæ in biuio adhuc virtutis & vitiorum consistens, leui ratione huc atq; illuc impelli potest. Vt rectè ab Aristotele scriptum sit libro secúdo Ethicorum ad Nicomachum.

Liberi potius quam bruta curã di sunt.

comachum. Non parui sed magnopere atq; adeò ad summum refert, vtrum sic an secus iam indè à puero assuescamus. Sicut Themistoclis exemplum declarat, qui tam impurus fuit adolescens, vt perpetuam turpitudinis notam vniuersæ familiæ inureret, & mater, quia perferre amplius non poterat, suspendio vitam finire cogeretur Authore Valerio: sed per egregiam educationem & bonarum artium studia, omnium Græcorum clarissimus, medium Asiæ & Europæ vel spei vel desperationis pignus, atq; vnica patriæ conseruator euasit. Simile prorsus exemplum Polemonis apud eundem Valer. li. 6. ca. 11. videre est, qui ex temulento, ne dicam perditæ luxuriæ adolescente, saluberrimis Xenocratis philosophi præceptis clarissimus Academiæ Atheniensis gubernator, & vtilissimus Reip. ciuis per fidelem institutionem factus est. Quare Lucian. in dialogo *ἰσὶ κατκροσούμενῳ* fingit ebrietatem, spolijs actionem aduersus Academiam instituere, quod Polemonem callidè abductum frugi adolescentem effecerit. Rectè ergò Phocildes.

Dum tener est gnatus, generosos instrue

Recta institutio multos corrigit.

Laertius lib. 4.



stræ mores. Narrat enim Nicephor. Calixtus lib. 7. Ecclesiasticæ historiæ cap. 26. quod Maximinus Tyrannus orthodoxam religionem vti sperabat in totum euersurus, conficta quædam Christianorum flagitia Ludimagistris trās miserit, luuentuti in scholis, vt venenum à teneris imbibitum diutissimè retinerent, proponenda. Tantùm in vtramq; partem valet luuentutis educatio. Quod in omnibus adolescentibus promiscuè multum refert: tum verò qui Magistratum gesturi sunt plurimum. Ne aut benè nati degenerent: aut malè nati non maturè corrigantur. Sunt enim plærumq; naturæ quædam vitia, quæ institutione curaq; emendari queât: neglecta verò totâ R. Ep. inficiunt, turbant atq; euertunt. Nam vniuersus ferè populus sese ad principum suorum mores cõponere solet, eisdemq; studijs ætatem consumere quibus principes videt occupari. Quare vt ciuitates, quæ cum principum virorum moribus ferè mutantur, integræ conseruentur, diligentissimè Magistratui prouidendum est, sub honestis & incorruptis præcepto-ribus, & Christianam pietatem & bonas

Principis  
sibi præci-  
pue curandi

Isocrat. in  
Nicocle.  
Cicer. lib.  
3 de LL.

lite-

literas doceantur. Sic enim fiet, ut reli-  
 quis ordinibus eorum exempla imitanda  
 tibus Respub. multis legibus non indige-  
 at, singulis nimirum sponte facientibus  
 q̄ rectum est & salutare. Quē admodum  
 diuinus ille Plato in nullo hominum ge-  
 nere diligentius laborauit, quā Reip.  
 suæ custodibus, quos non opibus, non  
 gemmis, aut satellitio, sed sapientia cæte-  
 ris vult antecellere. Et Cicero lib. 3. de le-  
 gibus. Hoc profectò factu, inquit, diffi-  
 cillimum est, ut nullius vitij quisquam  
 sit particeps, & qui in Senatum Ro. legā-  
 tur omni prorsus vitio careāt, nisi educa-  
 tione & disciplina. Tunc ergò formādi-  
 iuuenum mores sunt, cum mollis adhuc  
 ætas est: tum optimis studijs assuefacien-  
 di, dum ad quiduis aptum est ingenium,  
 quemadmodum elegāti Metaphora ex-  
 pressit Ouidius.

Quæ præbet lætas arbor spaciatis  
 vmbas

Quo posita est primum tempore vir-  
 ga fuit.

Tunc poterat manib. summa tellure res-  
 uelli

Nunc stat in immensum viribus au-  
 ctasus

Et suis.

Quocirca omnium grauissimè mihi peccare videntur parentes, qui non solù infans amore & indulgentia filios suos corrumpunt: verum etiã ingeniosissimos pueros à bonarum artium studio deterrent, sicut de Neronis imperatoris matre narrat Tranquillus, quæ studiosum & Senecæ præceptori obedientem Iuuenem à bonis literis auertit, philosophiã imperaturo contrariam esse affirmans. Sed, Exitus acta probat. Nam pro Imperatore Reip. quidem perniciosissimam pestem: sui vero ipsius percussorẽ & parricidam nutriuit. Quod si nostri temporis pleriq; parentes attenderent, profectò eius funestum exitum perhorrescunt, cuius factum, vt credo, non imitarentur. Qui enim filijs suis philosophiam eripiunt, certè instrumētum & ornamentum vitæ eripiunt, vt difficile sit de eorum te meritare, vt causa postulat, dicere. Multo verius me Hercule Alphonsus Aragonum rex, cùm audiret regem quendam dixisse, non decere Principes viros literas scire, vocem eam bouis non hominis esse respondit. Et Aristot. noster, parentes,

tes, qui liberos erudiendos curassent, longe honorabiliores aiebat esse his, qui genuissent tantum: hos enim viuendi solum, illos etiam bene beateque viuendi auctoritate extitisse. Porro Solon prudentissimus legislator indignum parentem esse iudicabat, qui filium bonis artibus ut imbueretur, non prohiberet solum, sed ne curaret quidem. Et clarissimus ille P. Aemilius vniuersa Macedonum gazam victoriam libris attigit filijs distribuendos. Præstantius esse ratus liberalibus artibus instruere, quam opibus locupletare, ut auctor est Sabellicus. Utinam igitur et si ferrius quam salus Reipub. postulabat: tamen aliquando tandem his exemplis reseruisserent & Horatij Flacci patrem imitarentur, qui.

Puerum est ausus Romam portare docendum.

Artes quas doceat quiuis Eques atque Senator

Semet prognatos: Vestem, seruosque sequentes

In magno ut populo si quis vidisset, auita

Exre



Ex re præberi mihi sūptus crederet illos

Quare filium optimus pater  
Nō solūm factō, verūm obprobrio quo-  
que turpi

Seruauit ab omni.

Iā verò quia multi negliguntur, haud  
mirum est, si tales reperiantur filij, qua-  
lem se per malam educationem, & indul-  
gentiam euasisse fatetur Mnesilochus a-  
pud Plautum in Bacchide.

Petulans, proteruo, iracundo animo, in-  
cogitato,

Sine modo & modestia sum, sine bono iu-  
re atq; honore,

Incredibilis, imposq; animi, inamabilis,  
illepidus uiuo:

Nequior nemo est, neq; indignior  
Cui Dij benefaciant, neq; quem quisq;  
homo aut amet, aut adeat.

Inimicos quam amicos æquum est me  
habere &c.

Ipsi autem parentes, præter turpitudi-  
nem & flagitia quibus dedecorantur,  
grauissima etiam damna ferè patiuntur.

Mnesilochus enim apud Plautum ubi  
omnia sua nequiter decoxisset, aliud inu-  
tilius patri consilium capit:

D Iam

50 DE ACADEMIIS  
Iam domum ibo atq; aliquid surripiam  
patri

Quod isti dabo Bacchidi vsq; vt mendicet pater.

DE SCHOLASTICIS HONORIBVS QUI VVLGO PROMOTIO

*nes uocantur.*

CAPVT 8.

**D**E honoribus scholasticis Solon apud Lucianum in Anacharsi sic loquitur. Opinamur verò ó Anacharsi gymnasiorum deliderium in Iuuenibus magis accendi, si eos qui optimè sese gesserunt honorari conspexerint, & in medio Græcorum præconis voce magnifice proclamari: & non pauci ex spectatoribus virtutum ac laboris amore inflammantur. Itaq; si quis ex communi hominum vita laudis & gloriæ amorem eijceret, quidnā amplius præclare rei ille nobis faceret reliquū? &c. Et M. Cice. li. i. Tuscul. quæstion. refert, paucos apud veteres Romanos insignes poetas extitisse, quod parum honoris Poesi deferrēt. Hos enim vt prouerbio dicitur alit artes, & iacent ea semper quæ aut negliguntur  
aut

aut improbat̄. Et omne honoratum augetur inquit Iamblichus contemptum imminuitur, promouetq; plurimos ad honesta studia, quādo conueniens singulis dignitas tribuitur, atq; ciuitates ea res optimis studijs implet. In eandem fere sententiam Bion in Bucolicis. Ne me reliqueris inhonoratum: Nam & Phœbus (sapientiæ Deus, & Medicinæ reparator) pro cantu mercedem dedit: honores enim res meliores efficit. Vt rectè Iuuenalis satyra. 10. dicat.

Quis enim virtutem amplectitur  
ipsam

Præmia si tollas

Fœlix enim & beata oīs respub. est autore Hippodamo, in qua officio suo rectè fungentibus honores debiti tribuuntur: Multa autem in hoc laborant quod qui bonus, strenuus & diligens vir est, nihilo plus quàm deteriores & negligetiores accipit. Vt rectè Aristophanes.

Οὔτε γὰρ ὁ μισθὸς οὐδ' ἐμ' ἐστ' οὔθ' ἡ τέχνη.

Neq; præmium vllum est, ars nec ipsa, item viget.

Quod vbi veteres philosophi pro sua

D 2 incre

incredibili sapientia animaduverterent,  
 certos etiam honores iuuentuti in scho-  
 lis proposuerunt: quibus ad bonarum ar-  
 tium studia incitarentur. Sicut de Athe-  
 nensibus iam supra ex Solone probauis-  
 mus: & de Cæsariensi Academia Nazian-  
 senus in Monodia author est. Quod Ba-  
 filio Magno honoris & professionis in-  
 signia, Doctores ex more conferre volue-  
 rint, quâquam ipse propter singularem  
 modestiam repudiarit. Sed quâdò, & vbi  
 certus promotionum Ordo, & nomina,  
 singularumq; facultatum leges, & di-  
 uersi habitus introducta sint, non satis in-  
 ter authores cõuenit. Sunt enim qui Bo-  
 noniæ aut Parisijs circa annum domini  
 1120. primò cæpisse affirmare ausingunt, Id-  
 que hac demum ratione. Cùm Gracianus  
 Iuris Canonici, Petrus Lombardus sa-  
 cræ theologiæ epitomen conscripissent  
 qui Graciani decretum, atq; Lombardi  
 sententias aut didicissent, aut prælegis-  
 sent Doctores appellari cæperunt. Sed v-  
 bi eorum numerus in immensum excre-  
 sceret, de certa quadam profitèdi ratio-  
 ne cogitatum, & singularum facultatum  
 leges introductæ sunt, vt autoritate publi-  
 ca à



ca à scholasticis conuentibus, solenni & accurata disquisitione prius facta (nam Codicillares doctores qui pontificū aut Principis diplomate honorarios titulos consequuntur post accesserunt) certum eruditionis, & virtutis testimonium haberi crearentur. Constitutum quoq; tempus est quod in studijs antè solennem illam gradationem consumere oporteret. Gradus autem præcipui tres sunt. Primus eorum qui tyrocinij depositi insignia accipiunt Baccalauri appellantur. et si ex hoc Theologi duos facere videntur: Alter eorum qui Meliodidascali & prodoctores siue Licentiati dicuntur. tertius Doctorum & Magistrorum est. apex omnium supremus. Quidam tamen multò altius publicarum promotionum originem repetentes, ab Augusto Cæsare profluxisse affirmant. Cùm enim hætenus promiscuè de iure responderent, & lucri causa aliquando parum cōsideratè, Augustus Cæsar decrevit ne quis posthac eam sibi facultatem vsurparet, nisi Principis auctoritas accederet, interueniente publicorum gymnasiorum examine. Et Adrianus Imp. viris quibusdam Prætorijs hanc Iurisdictionem

Zafius L. 2  
 §. Primus  
 D. August.  
 ff. de orig.  
 juris.

L. 2. ff. eod.  
 dem. &  
 ibid. D. D.

risdictionem citra examen ( vt nunc Co-  
 dicillares doctores faciunt ) petentibus,  
 respondit eam non peti sed præstari sole-  
 re, Principes non conferre nisi prius se  
 idoneos esse demõstrarent, & publica au-  
 toritate optimorum Curialium consen-  
 su promouerentur. Sicut Iustinianus etiã  
 in L. Magist. C. de professoribus lib. 10.  
 rescripsit. Et sic paulatim variaz arq; salu-  
 bres hac de re leges pro locorum diuersi-  
 tate à viris prudentissimis excogitate, &  
 in Academias introductæ fuerunt. Sed  
 ubi non pauci, vt apud ignotos ex doctri-  
 na quæstum facerent, se promotos esse  
 mentirentur, in eos tanquam falsarios æ-  
 nim aduersum est. Iuxta Panormitan. in  
 c. quoniam ext. de magist. & d. d. in L. eos  
 de falsar. Sunt autem hi promotionum  
 gradus, grauissimis de causis in Viēnen-  
 si concilio approbati sub Clemente Pa-  
 pa quinto, & sumptuariæ leges præscri-  
 ptæ, ne qui propter inopiam rei familia-  
 ris, & sumptuum magnitudinem à re rã  
 utili abstinerent, vt Clementin. 2. de Ma-  
 gist. videre est. Multa etiam ecclesiastica  
 beneficia & dignitates institutz, ad quæ  
 non nisi solenniter in schola promoti ad-  
 mitte-

mitteretur. Cùm ergò honorum gradus  
 tituli, siue promotiões à prudentissimis  
 viris introductæ sint, vt præmijs quibus-  
 dam iunētus ad bonarum artium studia,  
 quibus Reipub. aliquando rectius con-  
 suleret, inuitarentur: & docti ab indoctis,  
 ab improbis probi discernentur: dilige-  
 ter cauendum erit, ne indignis & teme-  
 rè, hoc præsertim periculoso tempore cõ-  
 ferantur. Alioqui enim & ipsæ promo-  
 tiones, quarum saluberrimus vsus est, cõ-  
 temnuntur, & siue indocti, siue improbi  
 publico Vniuersitatis testimonio cõpro-  
 bati, haud parum Reip. aut per imperitiã  
 aut per improbitatē detrimenti afferunt.  
 Quod non de d. & trina solum: sed vita e-  
 tiam, religione, & moribus similiter ob-  
 seruandum est. Nec tamen titulis istis  
 nimium tribuere oportet, Cicero enim  
 fortasse non malè Insignia inquit vir-  
 tutis, multi sine virtute assequun-  
 tur: veros autem fructus asse-  
 qui sola virtus  
 potest.

D 4 Quare

56 DE ACADEMIIS  
QVARE PRAE CAETERIS

VNVS HONORETVR, QVEM

nunc ferè primum Vniuersitatis

uocant.

CAPVT 9.

**S**icut Veteres philosophi auditores suos qui caeteris ingenio & eruditione præcellerent, præmio aliquo honorare solebant, vt Athenais in Saturnalibus quoq; diligenter obseruatum fuisse Gellius refert. Et Verrius Grammaticus Augusti Nepotû præceptor, quia discipulis semper præmium aliquod proponeret, quod is qui reliquos dicendo scribendoq; superasset auferret, plurimi ex eius schola doctissimi viri prodierunt: Ita etiam Maiores nostri vt ad publicos honorum gradus percipiendos quàm dignissimos redderent, Primo Vniuersitatis, hoc est præstantissimo & doctissimo omnium, ampliores honores & maiora præmia decreuerunt. Etsi enim boni adolescentis est spontè quod optimum ab omnibus & iudicatur, & est etiam, sequi, mentemq; suã bonis literis excolere: tamen expedit illi etiam timentis quibusdam rudes eorum animos ad optimarum artium atq; virtutũ studia

Li. 18. ca. 2.

Volate. li. 16.



studia inflammare. Quomodo olim apud Romanos authore Polybio Megalitano si quis in praelio strenue quicquam præ cæteris gesserat, Imperator de ipsius laudibus pro concione orationem habebat. & illi qui hostem vulnerauerat gefsum donabat, qui equo deiecerat spoliaueratque; pediti phiolam equiti vero phaleras. Qua ex re fiebat ut & gloria eorum qui patriæ benefecerant innotesceret: & luventus ad hoc prouocaretur, ut nihil non pro Reipub. salute ferendum subiret, quo celebritatem quam strenuos tantum, & bonos viros comitari cernebant consequerentur. Verum cum ex illo doctissimi delectu parricidia, grauissimaque incommoda sequerentur, quod singuli iniuriam sibi fieri putarent (sic enim homines ferè φιλάυτοι sunt, ut omnibus se libenter præferant) hic mos non nihil immutatus est, præsertim in illis Academicis ubi nihil præter honorẽ & sumptus ad eos ex primatu isto redire potest. Ut iam non doctissimus quisque, sed nobilissimus & ditissimus, idque vicissim præferatur, qui Examinatores publicos & promotorem honestiori conuiuio excipere

cupere, & pro omnibus gratias agere con-  
gatur vt nec gymnasia gymnasijs: nec  
studiosis studiosi meritò propter hanc re-  
inuidere possint. Ad quam fortè consue-  
tudinem allusit Horatius libr. i. Sermon.  
Satyr. i.

vt pueris olim dant crustula blandi  
Doctores, elementa velint vt discere pri-  
ma.

DE VACANTIIS ET QVA  
RE CERTIS DIEBUS IN HONOREM  
*præstantissimorum uirorum, singularum sa-  
cultatum alumni ferientur.*

## CAPVT IO.

**R**eminisci inquit Plutarchus de li-  
beris educandis oportet omnè vi-  
tam nostram in remissionem & studium  
esse diuisam: quocirca non operosi tan-  
tum sed festi quoq; dies reperti sunt. Nā  
laboris condimentum est otium, accor-  
pus quidem indigentia, & repletionem: A-  
nimus verò remissione atq; labore con-  
seruatur. Et Lucianus Samosatensis lib.  
i. veræ historiæ quod Athletæ inquit fre-  
quenter faciunt, idem literarum studio-  
sis fieri oportere conseo: vt cum grauibus  
& serijs legendis defatigati fuerint, ad a-  
nimum

Elegans  
quodq; lo-  
cus apud  
Fabium  
lib. i. ca. 4.

nimi laxamentum aliquantisper declinant, donec ad futurum laborem robustiores vegetioresq; efficiantur. Rursus in dialogo de sectis. bono inquit animo esto, quippe hodie à philosophicis commentationibus vacatio promulgata est. Porro Athenienses studiosi, aliquandò frugali concenatione, dulcib. colloquijs animum laxabant, hilarè prorsus & modestè vt scribit Gellius lib. 18. Noctium Atticarum capi. 2: Aliquando pugilatu, pancratio, pila, vel cursu corpus exercebant: quidam etiam grandia plumbi pondera in manibus gestantes fossam transfiliebāt. Iacebat quoq; in gymnasio globus quidam æneus, in parui scuti figurā formatus, siue loro & baltheo quem vel sursum iaculabantur, vel in longum, cōtendentes quis omnium aliorum metas excessisset. Quæ exercitatio duas utilitates apportabat iuuenibus vt & prospera valitudine vterentur: & robusti laborumq; patientes euaderent sicut refert Lucianus in dialogo qui ἀναχάσις ἢ πᾶσι γυμνασίου inscribitur. Vacaciones verò sicut etiamnū obseruantur duplices fuere, partim publicæ & ordinariæ: partim priuata. Puer

tæ. Publicæ quidè certis anni temporibus in omni doctrinarû genere celebrabantur. Aestiuales nimirum siue Mæsis & Vindemiales siue Autumni, sic enim Cæsar autore Tranquillo partitus est: &

**C. de ferijs** Gloriosissimi Romanorum Imperatores per vniuersum Imperium celebrari voluerunt. quos Theodosius in L. vt in die Dominico C. de ferijs, certis quibusdam limitibus descripsit. vt ab 8. Kal. Iulij vsq; ad Kalend. Augusti Mæsis feriaz A 10. aut Kalend. Septemb. vsq; ad Idus Octobr. Vindemiales durarēt. Ad quas prælectiones suas finire, & quodad eius fieri poterat novos iterum libros ordiri, vt certus studiorum cursus seruarietur solebant. Beatus enim Augustinus publicus eloquentiæ professor postquam spiritus sancti gratia ad Christianam philosophiam, Diuo Ambrosio præceptore peruenerat, lectionem publicam non ita deseruit, sed ne Auditores suos fraudaret vacantias vindemiales expectare voluit. vt ipse fatetur lib. 9. confessionû suarum cap. 2. Priuatæ autem non ab omni Academia simul, sed singularum doctrinarum discipulis alio tempore, a-  
lio



lio ordine, & alia ratione peragebantur. Hebdomadib. enim lunæ, septimo quoque die Athenienses, vt hodie etiam obseruatur, præter publicas illas vacationes feriabantur, quod ex cap. 2. libri 15. Notitium Atticarum Gellij, & Luciani Solone colligitur. Nostri verò Theologi & Iurisprudentes die Iouis potissimum feriatur. quoniam lex quam illi diuinã, hi humanam interpretantur, Iouis hominum que Deumq; parentis filia appellata est, vt M. Cicero libro 2. de legibus. & Dion Chrysostomus  $\pi\epsilon\gamma\iota\ \nu\omicron\mu\omicron\upsilon$  scriptum reliquerunt. Et quemadmodum Moses omnium legislatorum antiquissimus, & princeps, leges suas a vero Iehoua accepit: Ita Radamantus & Minos Cretensium legulatores, (vndè Nobiliores Græciã ciuitates suas leges hauserunt) à Ioue eas accepisse Philosophis creduntur. Ioui præterea, temperantiam, quæ bonarum artium, & sacrarum legum procreatrix est, veteres tribuerunt. Et Poetæ Minervam omnis doctrinæ præsidem ex capite Iouis profilijisse fabulantur. Philosophi verò & bonarum artium, atq; linguarum professores die Martis, fortassè quia Mars

Strabo lib.  
 bro 10.  
 Sabellic.  
 lib. I. Enne  
 ad. 4.

Mars planeta masculus est & generans,  
 atq; res naturales, de quibus ipsi ferè dis-  
 ferunt, producēs. quare eum poetæ Iuno-  
 nis siue aëris esse finxerunt filiū: vel quia  
 veteres sanguinē in quo vita animantiū  
 consistit, à Marte se habere credebant, vt  
 scribit Author Commentariorum in L.  
 dominico C. de ferijs. Aut saltem vt eo i-  
 pso Iuuentutem commonerent, hæc  
 studia grauioribus doctrinis rectius per-  
 cipiendis tractandisq; reperta esse: & ne  
 quā in his tantum laboris, ingenij, &  
 temporis consumere, atq; consenescere,  
 vt alia studia, quibus hæc destinata sunt,  
 attingere cum fructu aliquo nequirent;  
 sed diuinis humanisq; legibus liberaliū  
 artium doctrinam sic inseruire, vt Mar-  
 tis filij ad Iouem patrem officia referun-  
 tur, sicut doctissimi viri copiosè orna-  
 que comprobarunt. Quod verò Iurispe-  
 riti in Iustiniani, Medici Hipocratis,  
 Philosophi Aristotelis clarissimorum vi-  
 rorum honorem feriantur, indè ortum  
 esse videtur, quod Anaxagoras vt autor  
 est Plutarchus rogantibus Lampsacenis  
 num quid ante mortem mandare velle-  
 respondit. Nihil aliud, quàm pueri eodē  
 die

die quo moreretur ludere permetterentur: sicut suo adhuc tempore diligenter obseruatum fuisse testatur Laertius lib. 2. de placitis philosophorum. Verum si quando philosophi per grauiores occupationes suas, præter has ferias docere non possent: hoc tabella præ foribus suspensa literis maiusculis, vt nemo frustra detineretur, studiosis (sicut hodie adhuc in vsu est) significabant. Quod non obscurè indicat Lucianus in dialogo de sectis, quando vacationem promulgatam esse ait. Nam ordinariæ feriæ siue publicæ, siue priuatæ, quod statæ erant nõ promulgabantur. Neq; tamen leuiter transendum est, quod sicut studiosi nostri vacationum tempore computationes Atheniensium diligentius imitantur: Ita modum, & frugalitatem sibi quoq; ad imitandum proponere debent. Illi enim vbi parcè & frugaliter epularum vt loquitur Gellius modum fecissent vtilis delectabilesq; sermones proferebant, vt ad alendum, non opprimendum ingenium conuenisse viderentur. Nam Plato Academiae Atheniensis princeps, iucundiorè vini inuitationem, sub arbitris quibusdam &

Lucian. de  
sectis.

Lib. 15.  
cap. 2.

dam & sobrijs conuiuiorum magistris in-  
 trodixit: modicis honestisq; inter bibe-  
 dum remissionibus refici, integrariq; a-  
 nimos ad instauranda sobrietatis officia  
 existimauit: atq; eos sc̄sim lætiores, & ad  
 intentiones rursus capiendas reddi habili-  
 ores, vitia quoq; hominũ libertate qua  
 dam per uinum data detegi, & ad corri-  
 gendũ medẽdumq; fieri aptiora. Quod  
 enim post honestas exercitationes, ad li-  
 terarum studia paratioris redire soleant  
 probat Plautus in Bachidibus.

Ibi cursu, luctãdo, hasta, disco, pugilatu,  
 pilã,

Saliendo sese excercebant magis: quã  
 scorto aut suauijs

Ibi suam ætatem extendebant, non in la-  
 tebrosis locis.

Indè de Hippodromo & palestra vbire  
 uenisses domum

Cincticulo præcinctus, in sella apud Ma-  
 gistrum assideres

Tuum librum legeres-

DE PILAE QVAE PROPTER COM-  
 moditates plurimas, nunc ferè à  
 studiosis tractatur, usu  
 & ratione.

Demo-



Demoxenus apud Athenarum lib.

1. Dipnosoph.

Quidam iuuenis lusit pila, vix æditus  
Annos decem septemq; Cous patria.  
Deum videtur ferre certe hæc insula  
Qui desides mox respiceret hos incolas.  
Nam seu pilam caperet, darétue hinc om-  
nium

Surgebat ingens clamor. hic cōcinnitas  
Mos, ordo, quãtus explicari nec potest,  
Nec esse dictis, aut solet factis vir ùm:  
Nec quis putaret esse. pulchritudinis  
Tantum nec audiui viri, nec gratiæ  
Vidi. sui capturus hinc ingens malum  
Diu moratus, nunc videor sanus mihi  
Necesse deniq; &c.

Sed de pila ex professo disputauit Ti-  
mocrates Laconicus, & apud recentio-  
res scriptores varia passim reperiuntur.

## RECEPTIO ET EXAMEN

TYRONVM QVAE NVNC FERRE BEA-  
norum depositio uocatur.

### CAPVT II.

**I**nueteratus ille mos, vexandi eos qui  
ad Academias recenter confluunt, ex  
eo mihi originem traxisse videtur, quod  
E      vete-

veteres philosophi neminem in suam disciplinam recipiebāt, nisi ingenium, naturam & mores antè diligenter explorasset, sicut de Pythagora refert Gellius libro 1. Nocti. Attic. cap. 9. De Aristotele vero lib. 20. cap. 4. vt ad quam disciplinā natura sua ferrentur, atq; aptiores essent cognoscerēt. Sin omnino *ἀμύροισι* ne nobilem ætatem, parentumq; sudorem frustra in gymnasio consumerent, dedecorantes & præceptoris & Scholæ auctoritatem. Nam Indorum Brachmāni qui ad tricesimum septimum ætatis annum tacerere, frugaliter viuere, carnibus & Venere abstinere nollent, vt incontinentes & ad philosophiam percipiendam ineptos reijciebant. Lacedæmonij qui in educatione Iuuentutis diligentissimi semper extiterunt, liberorum suorum indolem admotis verberibus tam acriter sæpè experiri solebant, vt non pauci ex eo morerentur. sicut Rodoginus lib. 18. lectionū antiquarum fatetur. Essēi quoq; apud Iudæos, in suum collegium neminem recipiebant, qui biennio pacienciæ signa nō dedisset: atq; iureiurando confirmasset iusticiæ se cultorem fore, & nulli alteri

Strab. li. 15

here

hæresis dogmata traditurum, conseruatumq; sectæ libros, & ministrorum nomina vt ex Porphyrio refert Eusebius libro 9. præparationis euâgelic. cap. i. quæ omnia ferè adhuc in tyronum vexatione obseruantur. Athenienses verò studio si vt nouitiorum fastum arrogantiamq; reprimerent, & humaniores atq; faciliores redderent, mirum in modum exagitant, vexabantq;. Nam quidam verbis prouocare, & captiosè petulanterq; interrogare: quidam etiam cum ratione & dialectica periculum facere solebant. Quæ sanè res illis qui huius consuetudinis ignari erant metum incutiebant: qui verò norant iucunda & plena voluptatis videbatur. Ostentatio enim timorem præse ferebat, res autem ipsa minimè. Deinde ad balneum per forum deducebant, (sicut Colonia ad sepulchrum Aristotelis) furiosorum more ita insultantes, ita clamantes, vt cum ratione insanire viderentur. Atq; sic accuratius perdiscerent num intrepidus & constans: an mollis et varius appareret. Tandem omni metu liberatum in balneum introducebant, in collegium iam recepturi. quẽadmodum

Athenien  
sium depo  
sicio.

se cum Basilio Magno pertulisse scribit Nazianfenus in Monodia. Quæ res primo quidem salubriter à Maioribus nostris in Academias introducta: postea tamen in grauissimam abusionem conuersa est. ut plerique non de naturæ, & ingenij ratione, sed de tyronum potius loculis exhauriendis vetus odium euomituri cogitent. Quare in quibusdam Academijs iam dudum prorsus sublata est: in reliquis ad veterem morem per sapientissimos viros ut spero breui reducetur.

## DE SIGNO VEL CAMPANA

NA QVO OPORTVNO TEMPORE

*studiosi conuocantur.*

CAPVT 12.

**S**emper etiam veteribus philosophis κρόσσωνæ siue tintinabula in usu fuerunt, quibus remotiores, ne qui à prælectionibus sese absentarent, oportuno tempore in scholam conuocarentur: vnde Iuuenalis

Tot pariter pelues, tot tintinabula dicas.

Et Martialis:

Sonat æs thermarum ludere pergis? Qua



Qua de re elegās historia refertur de Ias-  
 seis apud Strabonem lib. 14. geographiæ  
 Cùm Citharædus quidam inquit artem  
 suam ostentaret, audirentq; eum Iassei  
 statim vt tintinabulum increpuit, ilicò o-  
 mnes relicto Citharædo dilapsi sunt, præ-  
 ter vnum surdastrum. Citharædus itaq;  
 propius ad illum accedens, Gratiastibi  
 inquit ingentes habeo, cùm propter Mu-  
 sicæ studium: tum propter honorem er-  
 game, Nam cæteri quam primùm tinti-  
 nabulum increpuit omnes abierunt. Ille  
 quid ais inquit, Num tintinabulum so-  
 nuit? quod cùm affirmaret Citharædus.  
 At tibi ait ille benè sit, & surgens ipse e-  
 tiam digressus est. Rectè ergò non so-  
 lum studiosi in gymnasia: sed tota etiam  
 vniuersitas si commodè fieri possit soni-  
 tu campanæ conuocatur vt scribit Zafius  
 in paratitla. Quod cuiusq; Vniuersita-  
 tis. Sicut Persarum quoq; Magi authore  
 Sabellico facere consueuerunt. Et pro-  
 miscuum vulgus ad conciones sacras  
 quæ veræ prælectiones sunt, atq; o-  
 rationes suas rectius persoluē-  
 das in templum per cam-  
 panas euocatur.

70 DE ACADEMIIS  
DE VIRGIS ET FERULA  
CAPVT 15.

Libro 1.  
cap. 4.

**Q**uanquam Fabius Quintilianus In-  
genium & liberalem puerum ca-  
di minimè vult: tamen quia omnium Iu-  
uenum promiscuè habèda ratio est, mul-  
ti verò optimorum præceptorum bene-  
uolentia, & rationibus in officio retine-  
ri, & ad honesta exercitia perducì non  
possunt, nisi verbera quandoq; adhibe-  
antur & plagæ, stulticia enim alligata est  
cordi pueri & virga disciplina eradi-  
cabit eam: Idcirco quod ea, si ratio & pue-  
rorum ingenia postulare viderentur, cù  
iudicio vsurpanda essent, & Chrysippus  
optimus Iuuentutis præceptor probauit:  
& à veteribus philosophis ferè receptum  
esse nos scimus & Fabius ipse fatetur. Vn-  
dè Euripides. Sunt præmium lasciuenti  
verbera. Verùm ne caput cæterasq; prin-  
cipes, atq; vitales corporis humani par-  
tes per animi impotentiam læderent: &  
quos ad erudiendum ornandumq; susce-  
perant turpes, mutilos, & ineptos ad dis-  
cendum redderēt: rectè à Maioribus no-  
stris sancitum est, vt virgis & ferula præ-  
cepto

ceptores vterentur : quibus ea membra  
 contrectarent , quæ à periculo maximè  
 tuta sunt. Qui mos à Græcis etiam pro-  
 fluxisse videtur. Illi enim cùm purum &  
 non dilutum vinum biberent atq; furio-  
 si inuicem baculis pulsarent tam acriter,  
 vthaud pauci occiderentur: Dionisius  
 posthac ferula pro baculis vti voluit. qua  
 re eum depicturi ferulam in manus dare  
 solebant. Et Apuleius libro secundo flo-  
 ridorum de psittaci castigatione loquês  
 Quæ rusticum nostrum sermonem cogi-  
 tur æmulari, ferrea clauicula caput tun-  
 ditur imperiũ Magistri vt persentiscat  
 hæc ferula discenti est. &c. Nec in conui-  
 uijs solum vti Dionisius instituerat, sed  
 in scholis etiam Græci ferulam vsurpa-  
 re voluerunt. Athenæi enim Timocles  
 opus esse adhuc

Trepidare, & alapis cædi, & in tene-  
 ras manus

Recipere plagas, res profectò suavis  
 est?

Quod Romani quoq; imitari cæpe-  
 runt. Horatius enim libro primo sermo  
 num satyra 3.

Nã vt ferula cædes meritũ maiora subire  
 E 4 Verbe

Verbera non vercor.

Et Iuuenalis satyrai.

Et nos ergò manum ferulæ subduximus  
& nos

Consilium dedimus Syllæ. Diuus quoq;  
noster Hieronymus & nos inquit didici-  
mus literas, & sæpè manum ferulæ sub-  
duximus. Caius etiam Imperator autho-  
re Tranquillo græcæ latinæq; eloquen-  
tiæ Syracusis & Lugduni certamina in-  
stituit, vbi in dicendo scribendoq; victi,  
præmia quædam victoribus conferre, eo-  
rundemq; laudes ædere cogebantur: eos  
verò qui maximè displicuissent scripta  
sua, spongia linguaue delere iussit, nisi  
ferula obiurgari maluissent. Virgarum  
autem vsus antiquissimum etiam origie-  
nem habet. Fabius enim Pictor libro se-  
cundo de aureo seculo refert quod Ianus  
vt Colonias in officio retineret singulis  
virgas singulas tradiderit. Prætores quo-  
que Romani auctore Plutarcho virgis v-  
tebantur, quibus malitiam quæ medica-  
bilis esse videretur corrigerent, non  
securi statim amputarent. Vndè Iu-  
uenalis:

Metuens virgæ iam grandis Achilles  
Canta-



Cantabat patrijs in montibus.

Ita virgas & ferulam Pædagogorum  
 scepra vocat Martialis, quibus à nequi-  
 cia & vicijs deterreant magis discipulos,  
 quàm lædant. Sed quanquam in præsens  
 non de vsu ( id enim alibi fortasse ex pro-  
 fesso commodius facere poterimus ) ve-  
 rum de ortu & inuentione virgarû & fe-  
 rulæ instituta disputatio est: tamen hoc  
 pædagogos non ignorare oportet, quod  
 permultum referat si pro ingeniorum et  
 temporis diuersitate, cum ratione qua-  
 dam & Iudicio prudenter viantur, & si-  
 cut Basiliius ille magnus præcipit, men-  
 suram & modum medelæ & sanationis  
 peccatorum adhibeant. Nam & indul-  
 gentia nimia Iuuentutem ferè corrup-  
 pit: & nimis acerba increpatio multos à  
 proposito studendi fugat inquit Fabius,  
 quod sic obiurgant quasi oderint. Discē-  
 ti enim nihil magis aduersum est quàm  
 odisse præceptores. Quæ è describit Plau-  
 tus in Bacchide.

Questi. 53.

Si vnàm peccauisses syllabam  
 Fieret corium tam maculosum quàm  
 est Nutricis pallium.

Quia verò quantumuis eruditi & dili-  
 gentes

De nota.

gentes præceptores discipulis suis perpetuò adesse, eosq; in omnibus obseruare non possunt ratio quædam introducta est, vt eorum peccata ad eos deferrentur: & discipuli aut virtutis amore aut plagarum formidine & metu ad bonarum artium virtutumq; studia inuicem excitarent. Nimirum vt à præceptore notati, alios quoq; obseruare, eorumq; vel obscenè & nequiter: vel petulanter & inhonestè dicta factaq; accusare cogerentur. Sicut apud Lacedæmonios puerorum præfecti, in tabula notabant eos, qui indecore quicquam gesserant, vt suo tempore punirentur. Et Athenienses vt frequentes in concionem ventitarent fune rubro colore oblito ministri publici populolum cingebant, agebantq; in concionem si quis contagio funis notatus appareret multampendere cogebatur.

**LIBER SE-  
CVNDVS QVI DE  
IPSI ACADEMIIS PER-  
tractat.**

**I V D A E A.**



Quoniam ergo Iudaei omnium reliquorum hominum parentes, optimarumq; artium vetustissimi Inuentores extiterunt: ab eorum synagogis exordiri placuit. Nam consultus olim respondit Apollo.

Chaldaeis quae vera esset sapientia tantum Hebraeisq; ipsis concessum cognoscere, pura Aeternum qui mente colunt regemque Deumq;

Ut ex Porphyrio scribit Eusebius lib. 9. de praeparatione Evangelica cap. 3. Vel ut Iustinus philosophus & martyr in Oratione contra gentes refert.

Νένοι χαλδαῖοι σοφίνυ λάχον, ἡδ' ἄρ' Εβραῖοι

**AUTO-**

ΑΥΤΟΥΓΕΝΗΤΟΥ ἄνακτα σεβασόμενοι θεῶν ἄρ-  
(γνώσ-

## DE LITERIS.

**E**T si variæ admodum pugnantescq;  
de literarum Inuentione inter histo-  
riarum scriptores opiniones sunt, dum a-  
lij Aegyptios, alij Phœnices, nonnulli e-  
tiam Græcos earû Inuentores fuisse per-  
tinaciter defendût, acerrimeq; inuicem  
insectantur. tamen Iosephus lib. i. contra  
Appionem & Eusebius lib. decimo de E-  
uanglica præparatione ex earum tum ap-  
pellatione, tum figura Hebræos inuenit  
se probant. Nam quod Plinius de Afsy-  
rijs, Herodotus historiarum pater, & Lu-  
canus poeta de Phœnicibus scriptum re-  
liquerunt, hoc de Iudæis intelligi oport-  
tere, Eusebius eleganter verissimèq; de-  
monstrauit: quàm veteres scriptores phœ-  
nicæam appellarunt: atq; in Syria sem-  
per collocarunt. Porrò has Iudæi diu an-  
tè diluuium habuerunt, quemadmodû  
partim ex libro Enoch; partim etiam dus-  
abus illis columnis de quibus mox disse-  
remus non obscurè colligitur, & apud B.  
Augustinum lib. 18. de ciuitate Dei cap.  
39. pulchra quidem hac de re disputan-  
tur. Quanquam illæ literæ quibus hodie  
vtun



vruntur Iudæi, nouæ sunt, ab Esdra post captiuitatem Babilonicam repertæ, hætenus enim eisdem Hebræi, & Samaritani characteribus utebantur vt author est D. Hieronymus in prologo Regum. Quarum vsum & potestatem eleganter explicat Eusebius libro 10. Euangelicę præparationis capite secundo, quemadmodum Græcarum literarum mysteria interpretatur Vincentius libro quarto speculi capite sexagesimo quinto.

## DE MATHEMATICIS

## DISCIPLINIS.

**S**eth filius Adami autor fuit vtrerum cœlestium naturam homines perscrutarentur, & in mirabili illo astrorum cursu inquirendo multum, voluptatis gratia studij ponerent. Qua in re vbi haud parum profecissent, duas diuersarum materialium columnas construxerunt, hanc ex lateribus quæ igni: ex lapidibus, illam, quæ aquæ resisteret. In vtraque ea quæ summo labore, & industria inueniant, ad posteros transmittenda conscripsere. Prædixerat enim Adam fore, vt aliquando aqua, aliquando ignis propter hominum peccata omnia prorsus euerterent.

De 14. columnis post diluuium Vincent. lib. 4.

Ad quos in Chronicis & Sabeli. Emmead. 1.

Zonar. li-  
bro 1. an-  
narium.

terent. Lapideam suo adhuc tempore in Syria perdurasse scribit Iosephus libri Antiquitatum cap. 4. Latericiam verò diluuiio perijisse verisimile est. Deinde Enoch de rebus naturalibus, & angelorù natura librum conscripsit, cuius auctoritatem Iudas Apostolus in epistola sua aethiopum bibliotheca conseruatur, auctore Guilhelmo Postello. De cuius libri auctoritate pulchra quædam apud Tertullianum in libro de habitu muliebri, & Diuum Hieronymum in caput primum epistolæ D. Pauli ad Titum. & Augustinù lib. 18. de ciuitate Dei cap. 38. videre est. Post diluuium verò Noë filios suos & diuinarum & humanarum rerum scientiam docuit. quare Berosus & quidam Iudeorum Rabini, omnium Gigantum sapientissimum, & Matheos peritissimù fuisse fatentur, qui per totum annum euentura, vt prognostici nostri etiam conijciunt, prædicere potuerit. Multaq; rerù naturalium, quæ à Maioribus suis accepta, mandauit literis, ne res tam necessaria propter memoriæ imbecillitatem paulatim interirent. Huius verò filius Cham,

Cham, Maiorem reliquis gloriam paraturus, & vt Vincētius libr. 2. cap. 101. probat, Diuinæ naturæ participes esse crederetur, optimis artibus ad superstitiōes Magicas abuti cœpit, earundemq; præsidio optimum patrem, quod reliquos filios ipsi proferre videretur, infirmiore & sterilem reddidit. Nec satis ipsi fuit per se huiusmodi turpitudinem exercere, verum etiam in posteros venenum infusus (Ita enim perditī & arrogantes ferè homines sunt) vt æternam post se memoriam relinqueret, libros, & carmina de Magia, & incantationibus conscripsit. Quæ omnia Ninus rex, ne qui per imprudentiam maximo Reipub. malo imbiberent, prorsus aboleuit. Reliquos autem filios Noë, vt synceriores theologia astronomiam, geometriam, & cæteras artes perfectè discerent, augerent atq; tuerentur diutissimè Dominus Deus viuere permisit. Porro Musicam quæ Fabio Quintiliano omnium aliarum artium propter voluptatem antiquissima putatur. Tubal filius Lamech reperisse creditur. Vndè Moses patrem canentiū cithara & organo vocat. Sic Noë posteri

Berosus  
lib. 3.

Pernitiosi  
libri comburuntur.

Iosephus  
lib. 1. ca. 8.  
Idem testatur Zono.

Zonor. libro 1.  
Gene. cap. 4.

cum

cum syncera religione, optimarum artium doctrinam, Aegyptiorum sacerdotibus, & Græcorum philosophis fideliter quasi per manus tradiderunt, quemadmodum Eusebius in libris de Evangelica præparatione, Iustinus, & tertullianus in Apologetico contra gentes elegantissimè demonstrant. Vnde perspicitur, quomodo orbis gubernator Deus, bonas artes ab exordio mundi in Ecclesia sua conservari voluerit: & quàm temerè in præteritæ, quibus morum, & humanitatis exempla, ipsaq; religio hominibus tradita & dispersita sunt, quibusq; sublatis in turpissimos errores prolabi, & in gravissima optimarum rerum ignoratione versario portet.

## DE IVRISPRVDENTIA ET

LEGIBVS IVDÆORVM.

Exodi 33.

**E**Ximius ille Theologus Moses, cum em ut homo amicus cum amico solet, Primus omnium leges tulit, rectè beatèq; viuendi normam præscripsit: ut scriptura sacra testatur & Gratianus capite. 2. distinctione 7. refert. Continet enim decem præce-



præceptorum doctrina, summam sapien-  
 tiæ diuinæ, & velut compedio quodam  
 complectitur quicquid legum & consti-  
 tutionum vsq; esse potest. Quare has le-  
 ges partim propter vetustatem & elegan-  
 tiam partim etiam propter certitudinē,  
 & maximum vsum vberrimosq; fructus  
 prædicat Rabbi Moses libri secundi de-  
 rectoris cap. 40. Meritoq; Iudæi tam san-  
 ctè eas coluerunt vt quoduis discrimen  
 atq; ipsam adeò mortem si tempus postu-  
 laret subire: quàm vel vnum verbum cõ-  
 tra eas admittere, ne dicam abiurare mal-  
 lent auctore Iosepho. Quomodo autem  
 Moses ad ferendum de religione, & ciui-  
 li administratione leges inductus sit, &  
 qua ratione in scribendo sit vsus, studio-  
 sum lectorem ad cap. 6 lib. 1. Eusebij de  
 demonstratione Euangelica breuitatis  
 gracia remittimus. Vniuersa autem phi-  
 losophia Mosis quadripartita esse à vi-  
 ris sapientissimis docetur, quarum pri-  
 ma pars historiam complectitur, Altera  
 propriè legitima Græcis ἠθικὴ vocatur,  
 quòd de moribus pertractat, Tertia per-  
 tinet ad sacrificia, Quarta θεολογικὴ dici-  
 tur Plato magnorum mysteriorum: Ari-  
 stote

Libro pri-  
 mo cõtra  
 Appionē.



stoteles μετὰ τὰ φυσικά appellauit, vt scribit Clemens Alexandrinus libro 1. Stromatum. Quoties verò pseudoprophetae eam aut abolere prorsus, aut saltem prauis erroribus peruertere conabantur, misit sacrarum legum author Deus veros Doctores, et prophetas, qui aduersus malorum hominum petulantiam propugnarent restituerent atq; tuerentur, Eliam, Helisæum, Esaiam, Ezechielem, &c. Sicut in Ecclesia Christi vtraq; & veteris, & noui testamenti scriptura, à sanctissimis viris adiutore spiritu sancto, aduersus hæreticorum furorem ita fortiter, & mordicus defensa est: vt nec eam ipsam, nec veram, & orthodoxam eius interpretationem conuellere vlla ratione poterint.

## DE SYNAGOGIS, ET EARUM

PRAEFECTO, ATQVE PROFESSORIBUS, & institutione iu-

uentutis.

**C**VM Moses sacris Iudæorum Republicam legibus confirmasset, publica etiam gymnasia quæ synagogæ dicebantur introduxit: vbi leges publice docerentur, earundemq; professoribus ordi-

ordinarijs secretiore quædam mysteria reliquit, vt longè rectius atq; syncerius quam vulgò opinantur interpretari possent. Quæ si fideliter conseruarent maximis præmijs: sin reuelarent grauissimis poenis afficiebantur, vt author est Rabbi Moses Aegyptius libro 3. cap. 1. Synagogæ verò præfectum Lucas actorum cap. 18. Archisynagogum vocat. Et Adrianus Imperator in epistola ad Seruianum consulem, quæ extat apud Spartianum in vita Saturnini, Nullus inquit nunc Alexandria Iudæorum Archisynagogus est. Qualis videtur fuisse Iairus ille cuius filiam resuscitauit Christus. Reliqui professores Rabini & Magistri dicebantur, aut etiam Scribæ & Legisdoctores. tum quia scriptam legem interpretarentur: tum etiam quia singula eorum verba à quibusdam conscriberentur, & de lege interrogati responderent. Beatus Augustinus libro 18. de ciuitate Dei  $\gamma\epsilon\acute{\alpha}\mu\mu\alpha\tau'$   $\epsilon\iota\sigma\alpha\gamma\omega\gamma\epsilon\acute{\iota}\varsigma$ , appellat, quia professionem suam nisi bellorum tempore impedirentur, diligentissimè curabant. Quare Iosephus lib. 1. contra Appionem circa educationem inquit Iuuentutis assiduè la-

boramus, legum custodiam & traditionem pietatis, vitæ totius necessarium opus iudicamus. rursus lib. 2. Moses iussit pueros literis erudiri propter leges, & nosse progenitorum actiones, ut actus eorum imitentur & cum legibus educati neq; transgrediantur, neq; ignorantie cogitationem habere iudicetur. Quo circa à discipulis suis liberaliter alebantur, & post mortem si periti, & utiles extitissent maximis honoribus afficiebantur. Quam si ipsorum partim diligentiam nostri professores: partim gratitudinem discipuli imitarentur: longè aliter, atq; nunc experimur in Academijs bonarum artium studia florere. Verum ubi Legisdoctores nimium sibi autoritatis viturparent, & singuli doctiores sanctioresq; reliquis dici & haberi vellent, in tres potissimum sectas diuisi sunt, quorum nonnulli pharisæi, quidam Sadducæi, Reliqui verò Essæi dicebantur. qui cum necessitatem licentiam Sadducæorum, nec Pharisæorum simulationem & hypocritam sine ferre possent, peculiare scholas ad lacum asphaltitem instituere, in quibus præter leges sacras alias quoq; liberales artes &

tes & profiterentur & exercerent: præfer-  
 tim eam philosophiæ partem, quæ de vi-  
 ta & moribus cõsiderat proptereaq; græ-  
 cis ἠθικὴ vocatur. Sadducei à Saduc autho-  
 re, vel potius à iustitia sumpto nomine. Matth. 22.  
Act. ca. 23.  
 Deum quidem atq; liberum hominis ar-  
 bitrium astruebant: resurrectionem ve-  
 rò carnis, & animorum immortalitatem  
 prorsus euertebāt, Epicuri de grege por-  
 ci omnis non pietatis solum sed humani-  
 tatis quoq; expertes. Pharisei verò à sepa-  
 ratione appellati, animorum immorta-  
 litatem ita asseriebāt vt malorū perpetuò  
 supplicio cruciari: bonorum verò in alia  
 corpora transire docerēt. A strorum cur-  
 sibus tam superstitiosè affixi, vt præter  
 hominis voluntatem, plæraq; in his infe-  
 rioribus euenire, affirmarent, Qui vt cę-  
 teris ferè doctiores & præstantiores erāt,  
 Beatus enim Paulus Apostolus Acto. ca-  
 pit. 26. suam causam coram Agrippa per-  
 oraturus: secūdam certissimam sectam  
 inquit nostræ religionis vixi pharisæus:  
 ita etiam potentiores rempublicam ad-  
 ministrasse videntur. Refert enim Ioan-  
 nes Apostolus Euāgelij sui cap. 12. quod  
 Principes quidam Iudæorum in Christū

Iosephus  
lib. 2. bellū  
Iudaici.



crediderunt, sed palam profiteri propter  
Pharisæorum metum non fuerint ausi.  
Nam etsi de religione, singulari pietate,  
atq; continētia Essæorum mira apud Iose-  
phum, Philonem & Epiphanium refe-  
runtur: tamen ea de Christianis intelli-  
gere oportere grauisissimi viri comprobarunt.  
Nos celebriores eorum synagogas pro-  
sequemur.

### SYNAGOGA HIE-

ROSOLYMITANA.

**H**ierosolyma sacrarum legum & re-  
ligionis custos, optimarum artium  
parens, & doctissimorum virorum pro-  
creatrix non immeritò à veteribus appel-  
latur. Ad quam velut supremam totius  
sapientiæ arcem ex omnibus prouincijs  
confluebant Iudæi, & difficiliores de le-  
ge controuersias ad Hierosolymitanos  
doctores referebant. Vbi singulæ etiam  
Nationes priuata collegia (vt in nostris  
Academijs adhuc obseruatur) habuisse  
videntur, disputarunt enim cum Stepha-  
no protomartire, quidam de synagoga  
Libertinorum, Cyrenensium, Alexan-  
drinorum &c. Quibus omnibus Christus  
Iesus duodecim annorum puer, partim  
arduas

Actor. 2.

Actor. 6.

arduas quæstiones proponendo: partim  
 difficiliore sacrae scripturae locos inter-  
 pretando magnam sui admirationem præ-  
 buit. Alexander autem Magnus contra  
 Darium Persarum regem pugnaturus à  
 Legisperitis Hierosolymitanis, quod  
 Graecorum rex in Asia dominaturus es-  
 set edoctus, synagogam eorum multis  
 privilegijs ornauit, ut Iosephus libro vn-  
 decimo antiquitatum Iudaicarum ca. 8.  
 Eusebius & Carion in chronicis fatent.  
 Porro in monte Siõ extra Hierosolymã  
 septem synagogæ fuerunt ubi leges pro-  
 miscuè tradebantur quidem: disputare  
 autem non licebat, ut author est Optatus  
 Mileuitanus lib. 3. Epiphanius libro de  
 ponderibus & mensuris post Deuastatio-  
 nem vrbs perdurasse scribit.

## DE BIBLIOTHECA

## HIEROSOLYMITANA.

**D**iuinarum legum & sacrae scriptu-  
 re libri viginti septem, de quorum  
 autoritate non dubitatur Iudæis à Deo  
 traditi fuere, etsi Hebræis non nisi vigin-  
 ti duo recensentur, quia decem illorum  
 in quinque duplicatur inquit Epiphanius  
 hæresi 8. & libro de Mensuris & ponde-  
 ribus

Lucæ 2.  
 Niceph. li.  
 1. cap. 14.

Euseb. lib.  
 3. capi. 10.

ribus. Illorum autem librorum quinque  
 Mosis sunt, qui natiuitates & humane  
 generationis traditionem complectuntur.  
 A morte Mosis vsq; ad Antaxerxem  
 regem Persarum, Prophetarum historiam  
 conscripserunt. Reliqui hymnos & vitæ  
 humane pignora continent. Ab Antaxerxis  
 autem imperio ad nostra tempora  
 singula quidem conscripta: non tamen  
 priori simili fide sunt habita: eò quod nõ  
 fuerit certa successio prophetarum inquit  
 Iosephus libro I. contra Appionem. Quos  
 etsi religiosè obseruabant & interpretabantur  
 Iudæi: tamen propter Regum idololatriam,  
 & populi grauissima scelera factum est,  
 ut destructa synagoga, libri sacri interciderent  
 quoque & perderentur. Sub Iosia rege à studiosis  
 uiriterum reperti. Sedechia autem regnante,  
 Hierosolyma rursus deuastata, templum  
 exustum cum libris: Verum Esdras sacerdos  
 & legis Doctor post captiuitatem Babilonicam  
 sacros Mosis, & prophetarum libros restituit,  
 & in ordinem redactos publicè interpretatus est,  
 idque per dies singulos à primo ad nouissimum  
 2. Esdræ 8. Deinde alios ipse libros adiecit.

4 Reg 22  
 Iosephus  
 li. 10. ca. 10

Vincent. li  
 bro 4. cap.  
 47.  
 Euseb. lib.  
 5 histor. ca  
 pite 8.  
 Nicephor.  
 li. 4. ca 14

cit. Nam Moses præter leges scriptas, se-  
 cretiora quædam mysteria, vti à Deo ac-  
 ceperat sapientioribus tantum ( quos O-  
 rigenes consiliarios mirabiles vocat) tra-  
 didit. Quæ propterea Cabala sine tradi-  
 tio appellabatur, quod non per literas,  
 sed successione quadam, hæreditario iu-  
 re, alter ab altero reciperet. Sicut in eccle-  
 sia Christi traditiones quædam & γράφαι.  
 ab Apostolis hæctenus quasi per manus  
 ad nos transmissæ creduntur. Nihil enim  
 aliud erat Cabala vt doctissimi viri auto-  
 res sunt quàm doctrina quædam viua vo-  
 ce tradita, continens certissimam diuinæ  
 legis scriptæ interpretationem. Quam  
 Esdras de septuaginta doctissimorum  
 virorum consilio in libros redegit le-  
 gitur. Ne si quando propter bella, & ca-  
 pitivitates institutus à Maioribus traden-  
 di mos obseruari non posset, cœlestis do-  
 ctrinæ arcana interirent. Atq; hos Esdræ  
 commentarios fideliter hæctenus apud  
 Iudæos conseruari, & Christianam poti-  
 us si rectè intelligantur, quàm Mosaicâ  
 religionem astruere scribit Picus. Habu-  
 erunt præterea annales Iudæi, quos ver-  
 ba dierum appellabant, quibus singula-  
 rum tri-

Rabbi Mo-  
 ses lib. 1.  
 cap. 70.  
 Hilari. in  
 psalm. 2.

Rodog. li.  
 10. cap. 1.



rum tribuum genealogiæ describentur, sicut ex I. lib. Esdræ cap. 2. & tertij lib. cap. 5. colligere est, quos tandem Herodes vt verum regiæ stirpis ordinem confunderet, sustulisse creditur Nicephoro lib. I. historiæ ecclesiasticæ cap. II. Quod verò tam diligenter in synagoga sua honeste libros conseruarint Iudæi, non absq; singulari prouidentia Dei factum esse affirmat Iustinus in oratione contra Gentes. Ne Christiani eos proferentes, quasi suppositi aut corrupti esset *εὐσεβείας* maledicis præberem<sup>9</sup>. vnde & Christianorum baiuli siue scrinij Beato Augustino vocantur. Etsi ergò sacrorum librorum qui certam autoritatem habebant, cum primis studiosi fuere: tamen aliorum etiam scriptorum monumenta in bibliothecam suam reponere solebāt, quemadmodum de Euangelio Iohannis & Actibus Apostolorum Lucæ atq; Mathei Euangelio refert Epiphanius contra Ebioneos hæresi 30. Quæ cum optimis libris referta esset, à Tito Romanorum Imperatore euersa quidem est vt testatur Rabbi Samuel in libro de vana expectatione Iudæorum capit. 2. sed ab Alexan-

Alexandro Hierosolymorum Episcopo Platina.  
 restituta. Vndè Pamphilus Martyr præ Volaterra.  
 cipuam Cæsariensis bibliothecæ partem Nicephor  
 depromsit. Eusebius verò plurima in li. 5. ca. 14.  
 Ecclesiasticam historiam transtulisse vi-  
 detur.

## ANTIOCHENA

## SYNAGOGA.

**A**ntiochia inquit Marcus Cicero  
 in oratione pro Archia poeta, no-  
 bilis & celebris quondam vrbs, & copio-  
 sa eruditissimis hominibus, liberalissi-  
 misq; artibus affluebat. Nam præter flo-  
 rentissimam Iudæorum synagogam ce-  
 leberrimum quoq; Philosophorù gym-  
 nasium habebat. Quare Gn. Pompeius  
 autore Eutropio post bellum Mithrida-  
 ticum mirabiliter eam honoravit. Quo-  
 modo autem veram philosophiam per-  
 ceperint Antiocheni: eiusdemq; alumni  
 primo omniù Christiani appellati sint,  
 Lucas Actorum capite II. eleganter edif-  
 ferit. Hic Lucianus Samosatensis Iurispru-  
 dentiam, Vlpianus verò præstantissimus Nicephor.  
 Orator Rhetoricen docuere. Hic Liba- li. II. ca. 17.  
 nius Sophista publicus eloquentiæ pro- Volater.  
 fessor Magnum illum Basilium, Grego- lib. 16.  
 rium

rium Nazeásenum, qui propter singularem eruditionem Theologus cognominatus, & aureum orationis flumen Chrysostomum erudiuit. Malchion etiam venerabilis presbiter qui aduersus Paulum Samosatensem publicè priuatimq; disseruit Antiochiæ Rhetoricam professus est, vt D. Hieron. de viris illustribus Beada in chronicis & Nicephors lib. 6. cap. 28. scriptum reliquerunt. Doctissimum illum Apollinarem Laodiceum Antiochiæ frequenter audiuit D. Hieronymus, & propter magnam eruditionem egregie coluit vt in epistola ad Pammachium & Oceanum fatetur. Celeberrimus ille Origenes Adamantius à Mammea Alexandria Imperatoris matre ex Aegypto Antiochiam euocatus, cum philosophorum artib. sacras literas coniungens diu maximo cum fructu professus est. Quod Zonaras lib. 2. Annalium, Nicephor. & Ursurg. in chro. testatur: Verum Aetius Eupnomij præceptor quas Antiochiæ artes rectè didicerat, ad Ecclesiæ Christianæ perniciem, animæq; suæ interitum turpiter abusus est. Adrianus Romanorum Imperator Antiochiæ propter vrbis authori-

Hieronymus in catalogo.

Nicephorus lib. 5. ca. 17

thoritatem, sacrarumq; Musarum frequentiam amplissimum Traiano patri templum extruxerat. quod Iulianus in vsum rei literariæ bibliothecam effecit, sed Iouinianus quod magicos & reipublicæ perniciosos libros contineret abolere voluit, quare græcorum philosophorum odium & scurriles iocos incurrit.

Nicephor.  
lib. 10. ca.  
finali.

## EPHESINA SY-

NAGOGA.

Ephesi quoq; præter doctissimos Iudeorum Rabinos, omnium atq; linguarum peritissimi viri olim flourerunt, vt apud Iustinum philosophum & martyrem in dialogo contra Tryphonem Iudæum videre est. Quapropter D. Paulus tam arduas & perplexas res, de diuina nimirum hypostasi, angelorum & spirituum natura, apud Ephesios disseperuit, quas non nisi vel diuinarum legum peritia: vel philosophorum decretis imbuti intelligere, eo præsertim tempore potuissent. Mathematicis verò artibus ad superstitionem vsq; abutebantur quidem: sed postquam veram philosophiã ab Apostolis Iesu Christi audire meruerunt, errorem suum (quod verè sapientis est)

Acto. cap.  
19.



Volatér.  
lib. 18.

est) agnoscere primum: deinde corrigere & libros magicos promiscuè comburere voluerunt. Hic Phyloxeus poeta Liricus qui Aeacidarum genealogiam conscripsit professus est. Phormio etiam philosophus Peripateticus eo tempore Ephesi floruit, quo Hannibal Carthaginensium Imperator à Romanis superatus, apud Antiochum regem exulabat. Nam cum aliquandò de re militari Imperatoris officio grauitè ornatus, ut si is videbatur, in præsentia eorù disseruisset. Hannibal multos se deliros senes vidisse respondit, sed qui magis quàm Phormio deliraret vidisse neminem: quippe qui cum nec hostem nec castra vnquam vidisset, de re militari præcipere Imperatoribus auderet. Quod si nostri temporis hominum quorundam mores & incredibilem arrogantiam audiret Hannibal, profectò supra modum plerosq; delirare affirmaret, qui cum nihil prorsus literarù didicerint, de rebus obscuris, quas ipsi planè ignorant sententiam imprudèter ferunt: & quanquam de rebus adeò incognitis loquuntur, nihil tamen ita proponunt, quasi coniecturis dicantur, aut de

de aliorum consilio sententiam dicere ve-  
 lunt: sed affirmant prorsus, & nullum a-  
 lijs contradicendi locum relinquunt. Ne-  
 que solum intollerabilis doctorum arro-  
 gantia: sed auditorum quoq; leuitas pro-  
 cul dubio grauiter ipsi reprehendenda vi-  
 deretur, qui non quid veteres pijsimi sa-  
 pientissimiq; viri, sed imperitum vulgus  
 de rebus grauissimis statuunt intuentur.  
 cum vel philosophi nostri longè aliter  
 haccere loquantur & sentiant, ad quos  
 studiosum lectorem breuitatis gracia re-  
 mittimus. Apollonius præterea Tianeus  
 ex India reuersus Ephesi floruit. Et pestè  
 prædicere atq; extinguere per eruditionè  
 posuit scribit Philostratus authore Eu-  
 sebio lib. 4. contra Hieroclem.

### CAESARIENSIS SYNAGOGA.

**Q**uia Cæsariam nobilem Palestinæ  
 ciuitatè Iudæi & gentes promiscuè  
 inhabitabant, grauissimi sæpè tumultus,  
 cū inter ciues, tum inter professores, atq;  
 synagogæ & gymnasiorū discipulos de  
 primatu exoriebāt, eaq; ob rem certatim,  
 vt fit, bonarum artium studijs, & litera-  
 rum gloria alios superare conabantur.  
 Non suis tantum ciuibus victoriam,  
 sed

sed sibi quoq; apud Gloriosissimos Romanorum Imperatores benevolentiam paraturi. à quibus tandem à tutela & cura atq; omnibus muneribus publicis vacationem acceperunt. L. sed & reprobare ff. de excusatione tut. Origenes Theologorum & philolophorum decus, Sacras literas publicè interpretatus est: & quæ diligenter præmeditatus erat, Notarijs, vt aliorum professorum imperitiam adiuuaret, Cæsariæ primùm dictare cepit, quare varia diuinarum literarum commentaria post se reliquit, quæ apud Nicephorum lib. 5. cap. 19. recensentur. Vbi cum aliquandiu hæreret, multos doctissimos viros produxit. Nam doctissimo philologo Christiano, ex Iuriconsulto Theodoro Anthenorum fratres quanti quanti sunt effecit, vt copiosè Nicephorus libro 5. ca. 20. & Volaterranus lib. 16. Anthropo. demonstrant. Huius etiam scholæ moderator fuit Proheresius ille sophista, cui quod pulcherrimam oratiõem Athenis habuisset, indulgit Iulianus vt ipse solus (reliqui enim lege utebantur) Christianæ

Euseb. lib.  
6. cap. 20.  
Hieron. in  
catalogo.

nae professionis viros, bonas literas doce  
re paret: sed homo philosophus tam a-  
trox & crudele principis edictum indi-  
gnatus, scholam reiecit non sine studio-  
rum grauissimo dolore. Procopius  
quoque floruit, qui Iustiniani Imperato-  
ris per Belisariū res gestas descripsit. Tā-  
dem Pāphilus presbyter diuinæ & Chri-  
stianæ philosophiæ scholam instituit, ex  
qua maximi theologi & fidei orthodoxe  
propugnatores prodierunt.

## BIBLIOTHECA CAE-

SARIENSIS.

**I**ulius Africanus doctissimus philo-  
sophus, clarissimus historicus, & gra-  
uissimus theologus ne quid in Cæsarien-  
si synagoga & Vniuersitate desiderare-  
tur, instructissimam bibliothecam adie-  
cit, quam Pamphilus & Eusebius ita lo-  
cupletarunt vt nulla tunc in vniuerso ter-  
rarum orbe celebrior haberetur. Hanc  
enim Diuus Hieronymus in rebus diffi-  
ciliores consulere, & ad castigatissimo-  
rum exemplorum veritatem veteris te-  
stamenti libros emendare solebat vt par-  
tim in psalmum 1. partim in cap. 3. episto-  
lae Pauli ad Titum fatetur. Hanc non-

G nihil



nihil ut videtur collapsâ, restaurare con-  
 nat<sup>o</sup> est Euzoius Episcop. Cæsarien. ut  
 author est Diuus Hieronymus in Cata-  
 logo scriptorum ecclesiasticorum.

### NICOMEDIENSIS

#### SYNAGOGA.

**Q**uanquam remotiores à Palæstina  
 synagogas hoc loco recensere non  
 lebam: tamen Nicomediensis propter  
 multas rationes hic attexenda videtur.  
 Postquam ergo Nicomedia in eum splē-  
 dorem & magnificētiā excreuit ut Ro-  
 manorum Imperatores ibi crebrò versa-  
 rentur, & doctissimos Episcopos habe-  
 ret, liberales etiā artes, Græcæ Latinq̃  
 que literæ florere cœperunt. Constans e-  
 nim Imperator Constantino filio quā-  
 rectissimè consulturus, Nicomediam mi-  
 sit erudiendum authore Nicephoro lib.  
 7. hist. ecclesiast. cap. 18. Et Constantius  
 Iulianum, quòd propter compositos mo-  
 res, & acerrimum ingenium atq; erudi-  
 tionem à populo amaretur, & Imperio  
 administrando natus prædicaretur, è Cō-  
 stantinopoli Nicomediam abire præce-  
 pit, vbi citra periculum vti opinabatur  
 philosophari posset. Sed cū & ibi inno-  
 resce-

resceret clarissimiq; philosophi eius so-  
 lum gratia, ex alijs Academijs Nicome-  
 diam venirent, Constantius Imperator  
 eius profectum impedire, & nimiam au-  
 thoritatem reprimere cupiens, Libanij  
 celeberrimi Sophistæ scholam adire per  
 edictum vetuit. Vel ne malum eius in-  
 genium philosophorum doctrina con-  
 firmatum grauiora, in Imperium suum  
 aliquandò mala importaret: vel saltem  
 (vt hoc tempore pleriq; faciunt) ne ma-  
 iorem se auctoritatem & gloriam conse-  
 queretur. Quod cù Julianus animaduerte-  
 ret Imperij affectati suspensionem reiectu-  
 rus, vitam Monasticam & contemplati-  
 uam profiteri cœpit, quam tamè cum fi-  
 de Christiana turpiter deseruit. Nam  
 Maximus philosophus Ephesinus Ma-  
 gicis eum artibus primò imbuit: deinde  
 Imperium affectare, & veram Christia-  
 nam Philosophiam quam à Maioribus  
 suis hauserat abnegare docuit. Hic præ-  
 ter cæteros omnium ferè artium profes-  
 sores, Disertissimus ille Christianorum  
 Cicero Firmianus Lactantius Eloquen-  
 tiam docuit. Et cùm duo quidam petulã-  
 tissimi Sophistæ contra Christianam reli-

Socrat. li-  
 bro 3. ca. 1  
 Nicephor.  
 lib. 10. ca. 1

gionem non disputare solùm: verum etiam scribere atq; venenum in vulgus effundere, & philosophiæ (cuius se antistes esse mentiebatur) insultare auderent; Ipse eius patrocinium defensioneq; suscepit vt lib. 5. Institutionum cap. 2. & 3. factetur. Quod si eius exemplo doctissimi viri oppressæ veritati hoc tempore patrocinari, & perniciosos errores, qui propter eruditorum hominum penuriam, & silentium introducti sunt, redarguere velent: profectò pauci ab ea recedere, aut tam imprudenter lacerare auderent. Præsertim cum Deo ipsius veritatis auctori, & patrono, mendacium repugnare: & vicia contra virtutes certare non queant. Atq; hæ celebriores Iudæorum synagogæ fuerunt, reliquas enim quod parum splendoris & fructus allaturæ videbantur in præsens omittendas putavi. Eas autem omnes nunc propter nimiam peritiam & veræ sapientiæ contemptum meritò perdidit.

## Æ G I P T V S.

**A** Egipij Mathematicarum, reliquarumq; artium doctrinam à Iudæis acceperunt. Nam Abraham patriarcha, Iudæo

Iudæorum pater geometriam & astrolo-  
 giam eos docuit, ante cuius aduentum ni-  
 hil harum rerum sciebant Aegyptij vt Zonaras  
li. I. Analitū  
 Iosephus libr. 1. cap. 16. antiquitatum iu-  
 daicarum & Eusebius lib. 9. de præpara-  
 tione Euang. ca. 4. & August. lib. 18. de  
 Civitate Dei ca. 37. testantur. Quas ipsi  
 propter admirationem sicut apud Ari-  
 stotelem est tam egregiè coluerunt, miri-  
 ficeq; auxerunt, vt Aulus Gellius lib. 11.  
 noctium Atticarum Aegyptios in artib.  
 inueniendis solertes, in cognitione rerū  
 indaganda sagaces extitisse probet. Et I-  
 socrates in Busiri sapientiæ studium Aeg-  
 ypto tanquam auctori acceptum ferre  
 non vereatur Lucianus verò ωγι τῆς σὺν-  
επιθεοῦ primi inquit hominū quos nos  
 scimus Aegyptij dicuntur deorum no-  
 ticiam percepisse, & templa constituisse  
 lucosq; & conuentus solennes ædidisse.  
 Quare Aegyptiorum sacerdotum quod  
 bonis artibus cæteros homines longè su-  
 perarent, apud Græcorū philosophos de  
 rebus naturalib. iudicium maximè sem-  
 per authoritatis fuit. Nam philosopho-  
 rum omnium facilè princeps Aristote-  
 les lib. 2. de cælo suam de corporum cœ-  
 lesti-



lestium motu sententiam confirmaturus,  
 similiter inquit de stellis loquuntur qui  
 earum rationem quondam plurimis an-  
 nis obseruauerunt Aegyptij, à quib. mul-  
 ta fide digna de siderib. accepimus. Rur-  
 sus lib. 1. Meteorologicorum de cometa,  
 qua in re non solum Aegyptijs fides ha-  
 benda est (hoc enim illi etiam tradunt)  
 sed hoc etiam nos ipsi vidimus. Et omnes  
 ferè qui olim doctrina excelluerunt, alijs  
 que gentibus leges & vitæ præcepta de-  
 dère, ad Aegyptios ea primum perceptu-  
 ri transferunt: vt in sacris suis libris con-  
 tineri Aegyptiorum sacerdotes glorian-  
 tur. Nam Thales Milesius nullo præter  
 Aegyptiorum sacerdotes vsus est præce-  
 ptore, vt ipse in epistola ad Pherecydem  
 fatetur & Laertius lib. 1. de vitis philoso-  
 phorum refert. Pythagoras Italicæ phi-  
 losophiæ princeps in Aegyptum studio-  
 rum gratia profectus est: vbi sacerdotu-  
 commentarios scrutatus, innumerabiliu-  
 seculorum obseruationes cognouit, quas  
 in Græciam & Italiam inferret. Cicero  
 lib. 5. de Finibus bonorum & malorum.  
 Diogenes lib. 8. Valerius lib. 8. cap. 7. Iso-  
 crates in Busuri, Lucianus in Dialogo  
 qui

qui vitarum auctio inscribitur, & Strabo  
 lib. 14. authores sunt. Plato philosopho-  
 rum Deus in Aegyptum ad Prophetas &  
 sacerdotes profectus, geometriæ multi-  
 plices numeros, cœlestiumq; rationum  
 obseruationem percepit, sicut eisdem fe-  
 re locis suprâ recitati authores testantur.  
 Quia in eam potissimùm curam incubu-  
 it vt Aegyptiorum philosophiam, in Græ-  
 ciam suam importaret. vt Aeneas Gaza  
 in dialogo qui Theophrastus siue de ani-  
 morum immortalitate inscribitur refert  
 Sechniphide Heopolitano vsus præce-  
 ptore, quemadmodum Pythagoras So-  
 chride Archipropheta vt scribit Clemēs  
 Alexandrinus lib. 1. Stromatum. Vbi &  
 Mosis prophetæ libros perlegisse, & id- Volater.  
lib. 18.  
 circo ad Christianam philosophiam pro-  
 ximè accessisse creditur. Aristoteles quo-  
 que Peripatericæ familiæ pater, naturæ  
 miraculum, cùm in Asia versaretur plu-  
 rima à Iudæis & Aegyptijs didicit. Euse-  
 bius lib. 9. de præparatione euangelicâ &  
 Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromat.  
 Eudoxus per Agesilaum, Aegyptiorum  
 sacerdotibus commendatus, insignis a- Laert. lib.  
8.  
 stronomus, geometer, & legislator eua-

fit. Homerus etiam præstantissimus græcorum poeta multa eorum quæ in Aegypto didicerat, in suam poesim transtulit, ut ex Diodoro refert Iustinus contra gentiles. Nec tamen Aegyptij philosophiam suam præsertim de deo omnibus promiscuè impartiebantur, nefas enim esse putabant, sapientiæ mysteria vulgo profano prodere, sed illis solùm hæc committentibus, qui erant aliquandò ad regnum peruenturi, & sacerdotibus qui & educatione, & doctrina, & genere præstantissimi iudicabantur, ut scribit Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum. Quod verò cognitu necessarium putabāt, id partim animalium; partim inanimatarum rerū figuris expressum ita representabant, ut non cuius statim promptum esset coniectere, sed cui singulatum rerum proprietates, & peculiaris cuiusq; animantis vis atq; natura perspecta erat, is demum collectis eorum symbolorum coniecturis ænigmatis sententiam deprehendebat. Ut accipitre celeritas, crocodilo malū, custodia oculo significabatur. Cuius rei exempla quædam adhuc Romæ extare Volaterranus probat. Docetq; illos paulatim  
 Hebræ

Hebræos imitari cœpisse: scribēdo à dex-  
 tro inflatus sinistrum. Nec tamen illud le-  
 uiter transeūdum est, quod quemadmo-  
 dum Græcorum philosophi suam doctri-  
 nam ex Aegypto hauserunt: sic postero-  
 res Aegyptij Græcorum philosophorum  
 scripta in scholis iuuentuti proposuisse  
 videntur. Nam Psameticus vnus ex duo-  
 decim Aegyptiorum ducibus vbi Græco-  
 rum auxilio regnum occupasset solusq;  
 dominaretur, eorum pueros græcam lin-  
 guam & artes doceri præcepit. Et paula-  
 tim Aegyptiorum reges præstantissimos  
 philosophos è Græcia maximis præmijs  
 euocarunt, qui Græcorū literas & doctri-  
 nam in Aegyptum quoq; intulerunt. Nā  
 cum S. Marcus sacri euangelij scriptor  
 veram philosophiam annunciaturus in  
 Aegyptum venisset, quidam probè lite-  
 ratus vir, ipsi respondit. scripturas tuas  
 nunquam prorsus audiui, sed Iliada & O-  
 disseas Homeri, quibus Aegyptiorum fi-  
 lij imbuuntur. Veram tamen Theologi-  
 am Iosephus patriarcha intulisse videtur  
 qui optimis legibus ditissimam, latissi-  
 meq; patentem Aegyptum in vniuersi-  
 perij formam redegit. Vt rectè Aegyptio

Genes. 47



rum pater, & saluator appelleretur. Sed nos ad celebriora Aegypti gymnasia properamus. Inter quæ ut principem mihi semper locum obtinere visum est Alexandrinum: ita etiam ab eodem ordiemur.

## ALEXANDRINVM

## GYMNASIVM.

**A**lexandria inquit Strabo geographo lib. 14. potens & populosa vrbs est, quæ omnium liberalium artium scholas habet. Baptista autem Egnatius in Aelij Spartiani Adriano Imperatore has fuisse recenset, Musæum Serapium & Isæum à Musis Serapi & Iside denominatas. In Musæo sacerdotes præfecti, & bonarum artium studiosi iuuenes, ad necessarios Reipub. vsus liberaliter alebãtur, ut Strabo & Volaterranus testantur: & Timon Philiasius apud Athenæum ridere solet, quod tanquam aues prætiosissimæ nutrirentur. Aegyptus multos pascit populosa librorum. Agminibus cinctos, certantes limite nullo Musarum in Calatho, donec soluantur ab ipsa Verborum contentione. Serapium verò pulcherrimũ gymnasium erat quod porticus habebat Itadio maiores, ac forum iudiciale, & lucos. Strabo

Strabo lib. 17. geogr. Peripateticæ autem  
 sectæ philosophi peculiarem schoam ha-  
 buisse videntur. Nam Eusebius & Nice-  
 phorus referunt, quod Anatolium Episco-  
 pū Laodiceū propter incredibilem om-  
 niū artium cognitionem Alexandrini  
 scholam Aristotelicam instituere, & gu-  
 bernare voluerint. Marcus tandem fide  
 Iesu Christi Evangelista fidem Chri-  
 stianam, veram philosophiam propaga-  
 turus, Ecclesiasticam scholam instituit.  
 Cui doctissimi semper viri præfuerunt.  
 Pantenus ille, qui ut equus quidem Tro-  
 ianus, optimos ecclesiæ palmites produ-  
 xit, deinde Origenes quem ibi talem se  
 vidisse fatetur Porphyrius qui arcem to-  
 tius Philosophiæ conscendisset. vbi præ-  
 ter aureum orationis flumen, & doctissi-  
 mas prælectiones, varia in scripturam sa-  
 cram commentaria ædidit quæ apud Ni-  
 cephorum lib. 5. ca. 15. recensentur. Cum  
 verò Origenes in palæstinam proficisce-  
 retur Alexandrinæ scholæ Heraclam suc-  
 cessorem reliquit. Cui tandem Dionysius,  
 Athenodorus, Malchion, Didymus  
 Athanasius & cæteri successerunt. quæ B. Hieronymum, Basiliū Magnum, Grego-  
 rium

Euseb. lib.  
 7. cap. 32.  
 Nicephor.  
 li. 6. ca. 36.

Volater.  
 lib. 17.  
 Antihigo

Vincent.  
 Lirens.  
 contra hæ-  
 eses lib. 1.

Niceph. li.  
 9. capi. 17.

gorium Theologum, & præstantissimos viros erudiuit. Florentissimam quoq; Iudæi Alexandriae synagogam habebant. Nam Alexander Macedo Iudæis, quorum auxilio Aegyptum superarat, gratificaturus, recenter à se conditam urbem Iudæis & gentibus promiscuè inhabitandam tradidit, vt vterq; populus suam religionem, studia & mores retineret. Hegefippus libri quinti de bello Iudaico & urbis Hierosolymitanæ excidio capite ultimo.

## DE PRAEFECTO S

VE RECTORE.

**G**ymnasiolorum verò Præfecti, sacerdotes fuere, qui vt rectius rerum naturalium causas scrutarentur Iuuentutē que erudirent, è sacris relictibus alebantur: & ab omnibus muneribus immunes erant, Atq; à mulieribus vino & carnibus abstinere cogebantur vt D. Hieronymus li. 2. contra Iouinianum testis est. Tertullianus in lib. contra Iudæos Hierophantas: Clemens Alexandrinus libro. 6. Stromatum prophetas appellat. Qui cum ipsius Regibus amici & præ cæteris familiaribus essent, maximæq; apud omnes ordines

Isocrat. in  
Busiri.

dines authoritatis, diligenter literis con-  
signabant, quæ vtilem Reipub. doctrinã  
præferrent. Nec tamen per suffragia  
(vt in nostris Vniuersitatibus fit) crea-  
bantur, sed primò Reges deinde Roma-  
norum Imperatores eos præficiabant.

Strabo li.  
17.

DE MATHEMATICARVM  
ARTIVM STUDIO, ET SACRIS  
eorum ceremonijs.

**M**. Cicero libro. 1. de Diuinatione,  
Aegiptij inquit in camporum pa-  
tientium æquoribus habitantes, cum ni-  
hil ex terra emineret, quod cœli contem-  
plationi officere posset, omnem curam  
in siderum cognitione posuerunt. Iuue-  
nucè verò à teneris in mathematicis disci-  
plinis exercebant, vt Isocra. in Busiri au-  
thor est: & Mosis nostri institutio decla-  
rat. Is enim peritissimus mathematicus  
cum esset in Aegypto effectus, præter o-  
mnium hominum opinionem cum ma-  
ximo exercitu in Aethiopiã peruasit,  
& refoeliciter gesta obliuionis lapidem  
reginæ fabricatus est, vt Iosephus lib. 2.  
antiquitatum cap. 10. & Comestor testan-  
tur. In sacris verò ceremonijs (quæ ad e-  
um ferè modum exercebantur, quo ho-  
diè

Vincent.  
li. 3. cap. 2.



110 DE ACADEMIIS  
diè ad excitandos iuuenum animos Co-  
mediæ peraguntur) post cantorem pro-  
cedebat Horoscopus, qui in manu horo-  
logium & symbola astrologiæ gestabat:  
Mercurijq; de astrologia libros semper  
in ore habere cogebatur, vt refert Cle-  
mens Alexandrinus lib. 6. Stromatum.  
Quarè Iulius Cæsar tantùm Alexandriæ  
in Mathematicis progressũ fecit aucto-  
re Sabellico, vt Romam reuersus publi-  
cos annales corrigeret. Et Hypacia The-  
sophi tempore Arcadij Imperatoris Ale-  
xandriæ magno semper & frequenti o-  
ptimorum iuuenum auditorio, mathe-  
maticas artes publicè profitebat. Et Pro-  
lomæus Mathematicorum princeps eru-  
ditus est. Verùm tempore Hermis Tri-  
megisti studia philosophiæ florere cœpe-  
runt, cum antè id tempus circa mathema-  
ticas artes versarentur, quæ ad exercendũ  
ingenium magis: quàm vitam & mores  
valebant. Quocirca primus Aegiptijs  
leges præscripsisse dicit cap. 2. distinct. 7.

CELEBRIORES ALIQVOT  
VIRI QUI BONAS LITERAS ALEXAN-  
driæ aut didicerunt: aut professi sunt. Ari-

**A**ristarchus tū castigati iudicij grā-  
 maticus vt Homeri versus non pu-  
 taretur quem ipse non probaret, Alexan-  
 driæ bonarum literarum publicus pro-  
 fessor, & Ptolomæi Philometoris præce-  
 ptor supra mille commētarios reliquit.  
 Apollonius Dioscorus Herodiani gram-  
 matici pater, Alexandriæ grammaticam  
 docuit, & de constructione partium ora-  
 tionis scripsit. Philetas quoq; Ptolomæi  
 Philadelphi præceptor, quem tam pusil-  
 lo corpore fuisse scribit Aelianus, vt plū-  
 bum pedibus appenderet, ne ventorum  
 flatu raperetur. Arrius præterea philoso-  
 phus & bonarum artium professor Ale-  
 xandrinus, Augusto venienti Alexandri-  
 am sese obrulit, tantoq; apud eum in ho-  
 nore fuit, vt Augustus palam fateretur,  
 Alexandrinos triplici de causa à se con-  
 seruatos esse. Ob Alexandri memoriam  
 pulchritudinem vrbis, & propter Arri-  
 um philosophū. Philo etiā pro Iudæorū  
 Repub. ad diuersos Imperatores Princi-  
 pesq; legatus, de quo propter egregiam  
 doctrinam, & singularem eloquētiā  
 vulgò ferebatur ἢ πλάτῳ φυλονίζετ ἢ φύ-  
 λωμ πλατωνίζετ Alexandriæ liberalibus  
 arti-

Cicer. li. 3.  
 epistol. ad  
 Appium  
 Pulchrū.  
 Volaterra  
 nus lib. 13.

artibus eruditus est. Eusebius Emisenus, Episcopis Orientis propter elegantes mores, & eruditionem carissimus, sacerdotalem dignitatem deprecās Alexandria secessit, & omnium rerum perfectissimā scientiam comparauit. Nicephorus lib. 9. cap. 5. Non quasi sacerdocium contemneret & aspernaretur, quod apud omnes homines maximo semper in honore fuit, & Beatus Chrysostomus Regiam maiestatem longè superare probat: sed quia iuniorē se, & imperitiorem esse iudicaret, quam pro dignitate atq; sanctimonia rectè administrare posset. Graue enim Pontificum, & sacerdotum onus est, ut Aeneas Syluius dicere solebat: beatius, & facilius, & vtilius gesturi creduntur qui bonarum artium atq; virtutum studijs confirmari ad hoc recipiunt. Eorundemq; praesidio tales se ecclesiae ministros exhibere possunt quales Philosophi Praetores, & profanos ciuilesq; Magistratus in republica requirunt. Iuuenalis enim Satyra 8.

Expectata diu tandem prouincia cum te  
Rectorem accipiet, pone Iræ frena, modumq;

dumq;

Pone & auaritiæ, miserere inopum fo-  
ciorum,

Respice quid moneât leges, quid Curia  
mandet,

Premia quanta bonos maneant. &c

Quando enim tales in Ecclesia sacris  
ceremonijs & mysterijs sacerdotes præ-  
sunt, omnia rectè, fœliciterq; succedere,  
& geri oportet: sin autem

In peius ruere ac retro sublapsa referri.

Actius quoq; hæreticus Alexandria à Epiphani-  
heresi 76,

Peripateticis philosophiã didicit qua ne-  
quiter abusus est. Iulius etiam Africa-  
nus vt Aradem diuinarum humanarum

que artium, atq; omnium Græcarum do-  
ctrinarum peritissimum audiret: Alexã-

driam profectus est. vt refert Ursperg. in  
vita Gordiani Imperatoris. de Origene,

Didymo, cæterisq; Ecclesiasticæ scholæ  
præfectis supra à nobis est demonstra-

tum. Theodorus verò Chius vlti-

mi Ptolomei præceptor, qui

solus Pompeium Ma-  
gnum occiden-

dum suafit, Rhetori-  
cam docuit.

Volater.  
lib 200

H DE



ALEXANDRINA.

**A**ristoteles primus omnium, quantum nobis quidem constat, inquit Strabo libro geographiæ 13. libros congregavit: & Aegyptiorum reges bibliothecæ ordinem docuit. Qui ingentem librorum numerum pro sua pietate cõquisierunt. Demetrius enim Phalerius à Ptolomæo Philadelpho maximam pecuniam accepit, ut optimis libris regiam bibliothecam augetet, ornaretq; . Et cum ab omnibus regibus atq; principibus Philosophorum, Rhetorum, Historicorum & Poetarum libri ad eum mitterentur auctore Epiphano præsertim ab Atheniensibus & Rhodijs ut scribit Athenæus lib. 1. cap. 1. breui tempore instructissimam reddidit. Nã Aristæus ( qui de hac re ex professo disse-ruit ) se præsertim rogatum Demetrium à rege, quotnam in ea libri essent, respondisse ait plures quàm 20000. sed vehementer auctam iri, si nõ ab vniuersa gratia solùm: verum etiam ab alijs gentibus, præsertim à Iudæis utilissimi libri peterentur. Eos enim se aut emere hæctenus, aut transcribere non potuisse, quod propria

prià linguà & alijs quàm Aegiptij literis  
 vterentur. Idcirco necessarium videri vt  
 rex ad Iudæorum pontificem literas da-  
 ret, peteretq; tam ipsos libros: quàm ve-  
 ros doctos, qui eos ex hebræo in græcum  
 sermonem fideliter transfunderent. V-  
 tramq; epistolam propter antiquitatem,  
 & certitudinem historiæ huic loco infe-  
 rendam putavi. Prior ergò qua Ptolome-  
 us rex libros petijt, apud Epiphanium,  
 in lib. de ponderib. & mensuris in hunc  
 ferè modum recitatur.

REX PTOLOMAEVS IV-

DAEIS DOCTORIBVS HIERO

*solymitanis multum gaudij.*

**B**ibliothecam construxi, & multitu-  
 dinem librorum ex singulis genti-  
 bus collectam in eam reposui. Quia au-  
 tem audiui quod etiam apud vos habean-  
 tur libri prophetarum, de Deo & mundi  
 creatione tractantes, etiam hæc cum a-  
 lijs consecrare cõcupiscens, scripsi quod  
 eos nobis mitteretis. Quod enim hono-  
 ris gracia & non ob curiositatem, neq;  
 malignitatem, huius rei cupidus sim, sed  
 fidei gratia, & amoris ergà vos hanc peti-  
 tionem faciam: ex nostrà in vos beneuo-

lencia, si in memoriam reuocaueritis scietis. Meministis sanè quod captiuos multos ex patria uestra abductos, & in Aegyptum nostram patriam deductos, cum multo viatico, & non vulgari cura ipsorum habita liberos dimiserim: sed & percussos & saucios sanos remisit, & nudos indui. Sed & nunc mentam auream præciosissimis lapillis ornata, ponderis ceterum talètorum, pro mensa accepta à sancto loco Hierosolymorum dimisi, vnà cum donis & præciosis thesauris reponendis in loco sancto. Horum itaq; narrationem feci, quò cognoscatis quod ex voto & pietate libros petam Valete.

Iudæi cum hanc regis epistolam, & præciosissima munera accepissent, vehementer gauisi sunt, Et eius petitioni vt responderent viginti duos libros genuinos & certos, septuaginta verò duos apocryphos, aureis hebraicis literis descriptos remiserunt. Quos cum nec ipse rex, nec eius Consiliarij legere possent: aliam ad eos epistolam qua Interpretes euocarentur dare oportuit, quæ eodem loco in hæc verba recitatur.

Pilo

PTOLOMAEVS REX PIE

TATIS DOCTORIBVS HIERO-

*solymitanis multum gaudij.*

**T**hesauri absconditi, & fontis obfigna-  
ti, quæ est utilitas in vtrisque? Sic etiã  
librorum ad nos missorum doctrina se  
habet. Quia enim non possumus eos le-  
gere, nulla erit nobis hinc utilitas: Idcir-  
cò dignemini interpretes nobis mittere,  
exactè eruditos in Græca & Hebraica  
lingua. Valete.

Eusebius autem libri 8. de præparatione  
Euangelica, cap. 1. & Iosephus lib. 12. an-  
tiquitatum Iudaicarum, cap. 2. & aliter,  
& fufius eam recitarunt: quocirca ne &  
hicaliquorù studijs defuisse videamur,  
vramq; & regis ad pontificem, & Pon-  
tificis ad regem epistolam subiiciemus.

PTOLOMAEVS REX E-

LEAZARO PONTIFICI IV

*deorum salutem.*

**N**on ignoras, multos Iudæorum in  
regiõne habitare nostra, qui ab He-  
rosolyimis Persarum tempore, quo illi  
regnabant abstracti fuerunt; quorù mul-  
ti cum patre nostro in Aegyptum ingres-  
si maiori mercede in legionibus confici



pti sunt. Cùmq; fideles inuenisset, in pre-  
 sidijs eos collocauit, vt eorum fortitudi-  
 ne, animos Aegiptiorum comprimeret.  
 Nos etiam postquam regni habenas sus-  
 cepimus, humanius tuos tractantes plu-  
 res quàm centum millia captiuos rede-  
 mimus, ac liberauimus, conuenienti mer-  
 cede dominis deposita, & si quid imperu-  
 multitudinis perperam gestum est, totum  
 correximus. Putauimus nimirum id ma-  
 ximo Deo gratum fore, qui tantum re-  
 gnum cum pace & gloria nobis commē-  
 dauit. De tuis etiam, florentes ætate, vo-  
 lentesq; militare, cum dignitate aliqua  
 in exercitu constituimus, & apud nos nõ  
 nullos admisimus. Quia igitur volumus  
 & tibi, & Iudæis, tam præsentibus quam  
 futuris gratissimum facere: decreuimus  
 vt lex vestra literis græcis ex hebraica lin-  
 gua transferatur, & vestra quoq; volumi-  
 na cum alijs regijs libris in bibliotheca  
 nostra inueniantur. Rectè igitur feceris  
 & nostro studio cõdignè, si viros probos  
 & seniores, peritos legis, et græcæ lingue  
 non ignaros, sex ab vnaquaq; tribu ele-  
 geris. Oportet enim quoniam res quàm  
 maxima est, illud eligatur, in quo plures  
 conue

conueniet Interpretes. Hac re gesta haud parua nobis gloriam consecuturos arbitramur. De his autem rebus latius tecum loquentur Andreas de intimis cubicularijs & Aristæus. Qui & primitias, ad vasa & sacrificia in templum portant, argenti atq; auri pondus non contemnendum. Scribe tu quoq; ad nos de quibuscumq; uolueris, gratum enim id nobis erit, & amicitia nostra dignum, & quam primū curabimus. Vale.

## ELEAZARVS PONTIFEX

AMICO VERO, PTOLOMAEO

*regi salutem.*

SI tu, & Arisnoe regina, & soror, & filij vestri valetis benè est, & ut volumus fit: ipsi quoq; valemus. Magno gaudio affecti sumus, quādò per literas tuas bonam erga Iudæos voluntatem tuam cognouimus. Itaq; vocato populo publicè tuam epistolā legimus, ut scirent quantum in Deum nostrum habeas pietatem: ostēdimusq; viginti aureas phialas quas misisti, & argenteas triginta, & crateras quinque; & mensam argenteam ad sacrificandum, aliaq; facienda quibus templū ægeret, ac argenti talenta centum quæ

Andreas & Aristæus homines probi & docti, & te digni, abs te nobis tradiderunt. quibus & latius diximus quæ visa sunt. Omnia namq; quæ tibi conferunt, etiam si præter naturam essent, tui perentis gratia efficere parati sumus. Plurima namque & maxima, & quæ nunquam obliuisci poterimus nostro generi beneficia contulisti. Quare ilicò pro te, & regina, & filijs, & amicis tuis sacrificia obtulimus Deo, orauitq; vniuersus populus vt cuncta tibi sicut vis succedant, atq; regnum tibi cum gloria dominus omnium Deus conseruet. Præterea vt diuinæ legis comòdè & securè fiat traductio, sex ab vna quaq; tribu seniores elegi, quos ad te cù libris destinavi. Rectè igitur facies rex optime, exquisitissimè traducta scriptura curare, vt ad nos illi viri reuertantur. Vale.

Andreas ergò & Aristæus, Seniores illos venerandos viros, ex Iudæa secum eduxerunt. Et in Aegiptum reuerfi Pro-lomæo regi primo quidem literas Eleazari Pontificis reddiderunt: deindè quæ viua voce imperata erant fideliter recitauerunt. Quibus maximo gaudio, & incredibili

bili voluptate affectus optimus Rex, Potentissimorum regū, maximarumq; Rempub. legatos ( qui tum fortè gravissimis de causis aderāt ) ad quinque proximos dies, præter receptam patriæ consuetudinem cum omnium admiratione abire: Seniores verò illos statim honorificè produci mandavit. Quos ut cum muneribus à Põtificè regi remissis, & pulcherrimis sacræ scripturæ libris Rex prodire videret: gratias inquit magnas ago, vobis quidem quod venistis: Maiores verò illi qui vos destinavit, sed ante omnes Deo cuius hæ leges venerandæ probantur. Et præ nimio gaudio ( sicut graviter dolentibus solet accidere ) prorupit in lacrymas, ac venerandos viros osculatus est. Et diem quo ad eum deducti essent reliquo vitæ suæ tempore sanctè singulis annis celebraturum promisit. Quòd duo gratissima utilissimaq; is sibi apportasset. Nimirum victoriam ab Antigono regis. & sacrosanctas leges. Tunc splendidum convivium instrui curavit, quo de via & itinere fatigatos recrearet. Sed quàmquam omne exquisitissimorum ferculorum genus pro regia magnificentia ap-



ponebatur: tamen eos quoq; cibos, quibus Iudæi utebantur vnà adhiberi voluit. vt pro sua valetudine edere vel abstinere possent. Ad liberius etiam potandum inuitare quidè eos: vrgere autem ne valetudinem eorum læderet, aut ad sacrarū legum interpretationem, quæ diligentia & sobrietate indigebat, ineptiores redderet, non voluit. Egregiū profectò & principib. nostris diligenter imitandum conuiuiorum exemplar. Iam verò Aegiptij promiscuè vt scribit Ioannes Bohemus, quoties conuiuia celebrabant, ne in tanta omnium rerum abundantia, licentiaque peccādi, naturæ, aut valetudinis, aut officij obliuiscerentur sublata mensa, mortui hominis Imaginem circumferre, & singulis accumbentibus dicere solebant. In hunc intuens pota, & epulare: talis post mortem futurus es. Quocircà (ne mo enim tam inhumanus esse poterat, qui ea re non moueretur) diutissimè visisse, optimeq; morati, & bonarum rerū acutissimi perscrutatores extitisse videntur. Inter cœnandum verò, vt ad propositum vndè sumus digressi reuertamur, Optimus rex varias, iucundas tamen & vtilis

Les quæstiones proponere cœpit: ad quas illi tam dextrè responderunt, vt omnes suprâ modum admirarentur, & Rex incredibiliter delectatus in duodecimum diem conuiuium protraheret, Tandem multis muneribus honoratos, eò quod præter cæteras vtilissimas res, regnandi quoq; rationem egregiè ab eis didicerat, vt diuinum opus fideliter aggredierentur hortatus est. Et demetrio omnia quæ ipsis necessaria essent vberrimè suppeditare, & diligentem ipsorum rationem habere præcepit. Nec tamen in ipsa vrbe, verùm septem ab ea stadijs in insula Pharos, singulis peculiarem ædiculam. qua separatim sacram legem interpretarētur extrui curauit. Idq; duabus quantum deprehendere potui de causis. Priore quidem, ne externis rebus impediti tardius absoluerent, aut morbis qui in vrbibus abundare, & peregrinos propter mutationem loci & dietæ facilius inuadere solēt, antequam absoluisent, emorerentur vt Philo & Iustinus significant. posteriore autem ne si consilia in interpretando cõmunicare liceret, veritatem quæ in scripturis sacris est, occultarēt: Ab inuicem verò

verò separati, si in interpretando nihilominus conuenirent, maiorem & sibi, & legi autoritatē conciliarent. veraq; isthęc diuinæ legis sentētia esse apertè ab omnibus cognosceretur. sicut Iosephus lib. 12. antiquitatum Iudaicarum cap. 2. Clemēs Alexandrinus lib. 1. Stromatum. Eusebius lib. 5. historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. Nicephorus lib. 4. cap. 14. grauissimi Auctores & fidelissimi historiographi testantur. Harumq; ædicularum ruinas, & vestigia quædam se vidisse scribit Iustinus philosophus & martyr in Apologetico contra gentes. Cùm igitur adiutore spiritus sancto septuaginta duobus diebus auctore Iosepho singuli translationem fideliter perfecissent, repertum est quod non eadem sententia tantum (etsi hoc sat magnum miraculum fuisset). sed eisdem etiam verbis essent vsi, & ne vna quidem dictione alter ab altero discreparet. Quare omnes instinctu Dei perfectam, veramque interpretationem esse fatebatur. Et rectè quidem illi. Nam sicut Deus vnus est, & vna in Deum fides, atq; vna quæ eam complectitur scriptura sacra & lex: ita plures vna quæ à spiritu sancto proficiscit

discatur, verè eius interpretationes & sententia esse nequaquam possunt. vt apud Basilium Magnum epistola 73. pulcherrimè docetur. Et quantum ad eam cognoscendam refutandamq; vel vnitas & consonantia: vel repugnantia & diuersitas proferunt, non solum Theologorum noster scripta testantur. M. enim Cicero libro primo Academicarum quaestionum aut Stoicus inquit constituatur sapiens, aut Academicus, vterq; enim cum tanta inter eos, non de terminis, sed tota possessione contentio sit, esse non potest. Cur verò cogemur eos sequi, qui tantoperè inter se dissident? Et Luciani Menippus. Hoc omnium absurdissimum videtur, quod qui me ad suam rationem adducere conabantur, diuersa inter se & pugnantia loquerentur: tamè vt ego ipsis fidem haberem postulabant. Omnium autem pulcherrimè Aeneas Gaza è philosopho Christianus, in Dialogo de animorum immortalitate, sententiam quam philosophi de animo ferunt, falsam esse probaturus, quoniam nō omnes inquit his de rebus vnum idemq; iudicium ferunt. mihi qui



hi quidem non videtur Deus huius doctrinæ dux esse & autor: alioqui enim eadem omnes docerent. Nunc verò existimandum est esse humanam quãdam sui ipsius admirationem atq; arrogantiam. sed hæc *παρὰ τὸν νόμον*. Rex igitur libros maxima cū admiratione, & incredibili gaudio recepit. Et antequam in bibliothecã reponeret, suprema auctoritate vt in perpetuum illæ leges durarent, decrevit ne quis addere quicquam vel detrahere auderet: Interpretes verò, magnis muneribus honoribusq; ornatos, vti pontifex petierat, in Iudæam remisit. Laudandus profectò laudandus optimus rex est primo quidem quod sacro sanctas leges tantò labore & sumptu comparare præ ceteris omnib. rebus voluerit: deindè quod earum interpretationum non ab imperitioribus Iudæis, quorum eo tempore in Aegypto plurimi habitabant, sed ab ipso Pontifice & Senioribus legisperitis siue Doctoribus ordinarijs, quibus hoc à Mose vt supra probauimus demandatum erat, requisierit. Reliqui enim quod nec ea mysteria: nec sacri sermonis proprietatè satis perceperant, infœliciter semper transce-

transferentes, grauisimos errores pepererunt. vt D. Hilarius grauis & vetus author in psalmum secundū testatur. Quare salubriter obseruarunt Iudæi, hoc solummodò ratum esse, & à spiritu sancto profectum videri debere, quod ipsi iudicassent. Nec quicquam legere, aut cantare liceret, quod non approbassent vt scribit Eusebius lib. 12. præparationis Euangelicæ cap. 16. Vtinam id Christiani homines, quos propter plura & maiora beneficia, Diuinæ legis studiosiores esse dicebat, tandem intelligere, & imitari velent. Nimirum vt eam sacræ scripturæ interpretationem amplecterentur, conseruarent, atq; defenderent quæ à spiritu sancto Ecclesiæ tradita, vna semper et Catholica permansit. Nam vetustissimā doctissimorum & grauisimorum hominum doctrinam, quæ omnium temporum, & locorum consensu stabilita est conuellere, & suam opinionem, omnium aliorum iudicio, cum tamen non nisi homo quoq; sit, præferre. Insulsi quidem & arrogantis hominis: vix autem hominis esse Menippus affirmare solebat. Nunc verò sacræ scripturæ interpretatio

rationem, quam Ecclesia, instinctu spiritus sancti Præsidis recepit, respicere, & pro sua voluntate augere minuere: addere detrudere; mutare, & ut semel dicam pervertere, quid est, si hoc non est suæ professionis, & Christianæ modestiæ limites transilire? atque legem Dei ipsius filii pro cuius pudicitia vel mori oportuit corrumpere? Ut doctis & pijs viris ipsa propter externum fucum, amissamque integritatem, apparere amplius, eo præsertim vultu non ausit: Imperitioribus autem qui verum à falso propter maximam similitudinem discernere non possunt, omnium malorum procreatrix hæresis, dux iam sit & magistra, quæ vita & salus esse debebat. Ut vehementer mirum sit quorum facta imitatur, eorum exitus non perhorrescere. Iosephus enim & Eusebius authores sunt, Theopompum philosophum, & Theodectem poetam, quod sacras Iudeorum leges pervertere, & suo more in alios usus transferre conarentur, à Deo, earum authore & patrono gravissimè puniti sint. Et ille quidem propterea mentis, hic verò oculorum cæcitate percussus: ambo tamen ubi peccatum suum

Ioseph. li.  
12. ca. 2.  
Euseb. lib.  
8. c. 1. Euz.  
præparat.

suum agnouissent restituti sint. Re autē  
 ipsa omnibus apertè probātes, quā pe-  
 riculosus ludus sit, cū Deo, eiusq; sacro-  
 sanctis legibus, scripturāue iocari. Lege-  
 re, rectè intelligere, & secundum eas vi-  
 uere semper: Iudicare, & pro sua libidi-  
 ne priuatim interpretari, fingere atq; refi-  
 gere nunquam permissum fuit. Ad hūc  
 ergo modum Optimus Rex Ptolomæus  
 Alexandrinam bibliothecam instructis-  
 simam, & preciosissimis libris ornatissi-  
 mam reddidit. Cui vt in necessarios reip-  
 vsus in perpetuum conseruaretur, post  
 Demetrii mortem doctissimi semper vi-  
 ri præfuerunt. Nam Callimachus histo-  
 ricus filius Batti, à Ptolomæo Philadel-  
 pho vsq; ad Euergetem præfuit. Sub Pro-  
 lomæo Euergete Eratosthenes Cyrenæ-  
 us, Callimachi discipulus, qui primus v-  
 niuersum totius orbis circulum 252. stadi-  
 orum esse prodidit, vndè & orbis terrarū  
 mensor appellatus est. Huic successit A-  
 pollonius Rhodius, qui Aristonium poe-  
 tam Comicū successorem reliquit, à qui  
 bus & conseruata semper & aucta est. Sed  
 cū Achilles regiæ militiæ præfectus,  
 Iulium Cæsarem, occiso Pompeio inua-  
 deret,



deret, Cæsar proxima circa regiam tecta  
 incendi mandauit, vt igni hostem arce-  
 ret. Qui ignis præter pulcherrimas do-  
 mos, nobilissimam quoq; bibliothecã,  
 quam Ptolomæus Philadelphus instru-  
 xerat absumpsit, & septingenta lectissi-  
 morum librorum millia perierunt in-  
 quit Sabellicus Enneade 6. lib. 7. Aulus  
 verò Gellius libro 6. cap. vltimo, scribit,  
 quod ille librorum numerus priore bela-  
 lo Alexadrino, dum diriperetur ea vrbs,  
 non spõte, neq; opera consulta, sed à mi-  
 litibus fortè auxiliarijs, (vt Volaterrano  
 etiam placet) incensus sit. Quæ tamen  
 paulò post restituta videtur. Nam Domi-  
 cianus Imperator, Romani Imperij bi-  
 bliothecas reparaturus, misit Alexandri-  
 am viros doctos, qui libros describerent,  
 & alibi repertos, descriptosue cum Ale-  
 xandrinis conferrent, emendarentq; vt  
 Tranquillus & Aurelius Victor in vita  
 eius scriptum reliquerunt. Et nouam, mi-  
 norem, veterisq; filiam suo tempore ad  
 Serapium florentem extitisse scribit Ter-  
 tullianus apologetici cap. 19. In qua Sym-  
 machi, Aquilæ, Theodotionis, reliquo-  
 rumq; Interpretum translationes, & do-  
 ctissimi

Etissimi commentarij autore Epiphano  
 lib. de ponderibus & mensuris asseruetur.  
 Cum ergò Alexandrini circa bonas  
 artes diligentissimi essent, doctissimos-  
 que viros in vniversum terrarum orbem  
 effunderent: Romanorum Imperatores  
 summo in honore eam urbem habuerunt,  
 & ne tam præclaræ artes perirent, maxi-  
 mos sumptus ad conseruandam scho-  
 lam Alexandrinam impenderunt. Ma-  
 homeristæ autem omnis pietatis, & opti-  
 marum artium osiores, tam vetus, tam no-  
 bile, tam frequens gymnasium quod su-  
 pra duo annorum millia floruerat, ab o-  
 ptimis regibus, & inuictissimis impera-  
 toribus hæctenus honorificè conserua-  
 tum, abolere voluerunt. vt citra omnem  
 pudorem, atq; humanitatem barbaris  
 hominib. liberrimè imperitare possent.

## MEMPHITICVM

## GYMNASIVM.

**M**Emphis non solum propter re-  
 ligionem, cultumq; Deorum, &  
 Regum sepulturam celebris: verum etiã  
 sapientiæ studio florentissima olim vrbs  
 fuit. Nam Abraham patriarcha è Meso-  
 potamia in Aegyptum profectus hic habi-

tasse, & variarum artium doctrinam im-  
portasse creditur. Quas eorum Vates  
(sic enim professores appellabantur) tam  
superstitiosè colebant, ut ex rerum natu-  
ralium observatione, & astrorum cursu  
etiam futura se regibus prædicturos pol-  
licerentur, sicut ex commentarijs D. He-  
ronymi in 19. caput Esaia, & 30. Ezechie-  
lis non obscurè colligitur. Cum verò sæ-  
pè, quæ ipsi ex cõiecturis quibusdam fu-  
tura prædixerant euenirent, à potentissi-  
mis regibus, & amplissimis respub. de fu-  
turarum rerum euentu frequenter con-  
sulebantur. Sicut Milesij multa præclara  
responsa de Darij regis interitu, & Ale-  
xandri magni diuino ortu, atq; victoria  
retulisse gloriabantur. Quare Græcorum  
philosophi, ut eorum artes perdiscerent  
in Aegyptum profecti sunt.

## HELIOPOLITANVM

### GYMNASIVM.

**H**eliopoli etiam vrbe clarissima, om-  
nne disciplinarum genus præstā-  
tissimi viri olim tradiderunt. Nam præ-  
ter amplissimas domos in quibus sacere-  
dotes, homines philosophiæ & astrono-  
miæ deditissimi, versabantur. Philoso-  
phorum

phorum quoq; Græcorum habitationes se vidisse scribit Strabo. Heliopolitaniq; ciues omnium Aegiptiorum doctissimi & habebantur vulgò, & erant quoq;, vt autor est Herodotus. Fuerunt enim aut ipsi Iudæi, qui cum Onia sacerdote, metu regis Antiochi ad Ptolomæum Epiphanem confugerant: aut ipsorum successores & discipuli. vt ex D. Hieronymo scribit Vincentius lib. 6. speculi cap. 54. Hic Dionysius Areopagita, Atheniense post D. Paulum Episcopus, eo tempore bonis artibus operam dabat, quando propter mortem Saluatoris nostri sol obfcuratus, & tenebræ factæ sunt super vniuersum orbem terrarum quod ipse refert in epistola 7 ad Policarpum.

## B A B I L O N I A.

**H**Aud minori studio Babilonij, & Afsyrij bonas artes statim à diluuiio colere cœperunt quàm Aegiptij, & in perscrutandis rerum & diuinarum, & humanarum naturis egregiè, vtiliterq; laborarunt. Quia propter planitiem, magnitudinemq; regionum, quas incolebant, cum cœlum ex omni parte patens atq; apertum intuerentur, traiectiones,



motusq; stellarum obseruare potuerūt  
 quibus notatis Authore Cicerone quid  
 cuiq; significaretur memoriæ prodide-  
 runt. Atq; hoc quidē tam accuratē, vt  
 Philo Iudæus li. de migratione Ahrabā.  
 artem astronomicam & genethliacā præ-  
 ceteris nationibus elaborasse scribat, ter-  
 rena sublimibus, & sublimia terrestrib;  
 coaptantes, & velut Musica quadam ra-  
 tione ostendentes rerum omnium pul-  
 cherrimum cōcentum, per istos vniuer-  
 si partium affectus mutuos disūctarum  
 quidē locis, sed cognatione non item.  
 Postquam verò bonarum artium, præ-  
 sertim Mathematicarum studia, aliquan-  
 diu floruerant, Sameis Nanius, Semirā-  
 midis reginæ filius, quod religiosus &  
 doctus erat, templa deorum ornauit, &  
 Eruditorum hominū scholas liberaliter  
 auxit, atq; noua quædam gymnasia in-  
 trodixit vt author est Berosus.

### DE PROFESSORVM SE-

CTA, AVTORITATE, ET

*ratiōne institutionis.*

**B**Abiloniorum & Assyriorum Do-  
 ctōres Chaldæi dicebantur, qui vt  
 cœlum ipsum, quod inter omnes crea-  
 turas

ruras præmineat, regem sensibiliū non incommodè quis dixerit: ita scientiam rerum cœlestium, cuius diligentissimi professores erant, reginam & dominam scientiarum propter excellentiam vocabant. authore Philone in libro de cōgressu eruditionis gratia. De rerum naturalium principijs variè differebant. Mundum nec principium habere nec interiturum, corpora cœlestia lege quadam atque iudicio ita moueri, vt suo cursu tam bona quàm mala singulis hominib. prouiderent. Præcipuam verò & propè diuinam vim Planetis inesse arbitrabantur, quos velut diuinæ voluntatis interpretes diligentius cæteris obseruabant: plurimāq; ex eorum inspectione Dario, Alexandro, & Romanis prædixisse creduntur. Quapropter tantæ in republica eorum autoritatis fuere, vt ipsis regib. quodammodò imperare viderentur. Qui eos à Dijs immortalibus & bona impetrare: & à repub. auertere mala indicabant. Diuturna enim syderum obseruatione, scientiam putabantur effecisse vt Cicero refert, qua non reipub. tantum consulere: verum etiam quid singulis euenturum,

Lactan. li.  
7. cap. 14.  
Institu.

& quo quisq; fato natus esset prædicere possent. Aduersus quam falsam eorum opinionem, præter veros Iudeorum prophetas, M. Cicero lib. 2. de diuinatione, & Phauorinus philosophus apud Gellium lib. 14. noctium atticarum cap. primo eleganter copiosèq; differuerunt. & Horatius lib. 1. carminum.

Tu ne quæstis scire nefas, quem mihi  
quem tibi

Finem Di; dederint Leuconoë, nec Ba-  
bilonios

Tentaris numeros.

Somniorum præterea interpretando-  
rum peritiam vsurpabāt, vt Danielis ca.  
2. videre est. Veteres ergò Chaldæi tam  
integrè bonarum artium studia colue-  
runt, & rerū naturalium causas perscru-  
tati sunt, vt eorum authoritas apud exte-  
ras nationes magnum pondus haberet.  
Nam Aristoteles libro 2. de Cœlo. Præ-  
clare inquit nobiscum agetur, si hoc sibi  
quisq; nostrūm persua deat, veterum, ma-  
ximeq; Maiorum nostrorum veras esse  
sententias, de immortalitate, ac diuinita-  
te cuiusdam eorum quæ mouentur, sed  
ita mouentur, vt eorum motus terminū  
non

non habeat sed potius cæterorum sit terminus. Et Democritus Abderites, atq; Pythagoras mathematicarum artiũ studio ad Chaldæos in Babiloniam profecti sunt, vt post Strabonem & Valerium Eusebius lib. 10. de Euangelio cap. 2. & Clemens lib. 1. Stromatum perscripsere. Posteriores verò optimis artibus, quas incorruptas à maioribus acceperant, per superstitionem abusi, summa impietate humanam vitã impleuerunt, inquit Philo de migrat. Abraham. Babiloniorum verò Iuuentus ad aliarum gentium scholas non mittebatur, sed Chaldæi tam fideliter statim à teneris erudiebant, vt in omni literarum genere præstantissimi viri euaderent. Porrò Theologiam primo quidem ab Aegiptijs authore Luciano *Περὶ τῶν θεῶν*: deindè ab ipsis Iudæis, qui eã in Aegiptum, quoq; intulerant, & hãc ipsam perfectius, & reliquas etiam artes acceperunt. Nabochodonosor enim rex cõstituit eruditissimum Daniëlem prophetam, principem vniuersę Babilionis, Præfectum, atq; magistrum Daniel 2. Iosephus lib. 10. cap. 12. super omnes sapientes, hariolos, & Magos. Vt Iudęorum captiuitas & miseria,



Babiloniorum maxima foelicitas effect, quippe à quibus synceram religionem, & veram philosophiam perdicerent. sicut in decimum caput Danielis verulissimi Authores comprobarunt. Quocirca posterioribus tēporibus proximè ad Iudæorum linguam accesserunt, <sup>22. literis</sup> vsi eodem sono sed diuersis characteribus teste Hieronymo in prologo Reg. & Danielis. Et Saluator noster Christus Iesus, omnes homines promiscuè ad agnitionem sui vocaturus, acerbissimæ passionis tempore vtraq; lingua vsus est vt refert Epiphanius hæresi 69. Græcam verò philosophiam, præsertim Stoicorū primus in Babiloniam intulit Archidemus Atheniensis authore Plutarcho.

## PHOENICIA.

**P**Hœnices ab ingenio, atq; eruditiōe, & circa bonas artes studio, mirificè ab historiarum scriptoribus commendantur. Adeò quidem vt pleriq; non Arithmeticæ solùm: verumeriam literarum, quæ omnium artium prima elementa sunt, Inuentionem ipsis tribuere non vereantur. Præcipuè eorum vniuersitates fuerunt.

Bery

## BERYTENSIS VNI-

## VERSITAS.

Berytus siue Barutus clarissima Phœnicia<sup>e</sup> vrbis, optimarum artium studio præ cæteris olim florentissima fuit, Imperator enim in §. hæc autē tria, pro cemi. ff. pulcherrimam ciuitatem, & legum nutricem meritò appellari fatetur: & Azolucerna Iuris, C. de stud. lib. vrb. Ro. & Constant. confirmat. Gloriosissimiq; Romanorum Imperatores propter bonas literas Metropolitano nomine, & dignitate eã exornare voluerunt. text. & DD. in L. vnica C. de Metropoli Beryto. Vt autem Ius ciuile Romanorum publicè doceretur, Principū auctoritas indulfit autore Bartholo §. hæc autē tria, proce. ff. Quod vt rectius ibi floreret Dioclet. & Maxim. magnis priuilegijs ornarunt. Quorum ad Berytensis Academiae studiosos rescriptum apud Iustinianum, in L. i. C. qui ætate vel professione se excusant, in hæc verba recitatur. Cum vos confirmetis liberalibus studijs operam dare, maximè circa Iuris professionem, consistendo in ciuitate Berytorum prouinciæ Phœnicis, prouidentes  
vtili-

utilitati publicæ, & spei vestræ, decernimus, vt singuli vsq; ad 25. annum ætatis suæ non auocentur. Professores etiam vt rectius Iuuentutem erudire possent, à tutela & Cura excusabantur *glos. §. fin. L. sed & reprobari ff. de excusat. tut.* Cùm ergò nullis externis rebus impedirètur, sed suum officium quisq; diligenter faceret: eius Vniuersitatis professores clarissimi viri & habebantur & erant. *Do. rotheus enim vir magnificus & quæstor. Anatolius illustris. quorum opera Imperator in emendando Codice vsus est. Barutenses Legum doctores fuère. Gregorius etiam Ponticus Neocesariensis Iurisprudentiam professus est. Apollinaris verò senior, Grammaticam docuit, & Apollinarem filium heresiarcham, Rhetoricę professorem reliquit. Severus quoq; ἀκίφαλος Antiochenę Ecclesię Episcopus, & Triphillius Episcopus Lederensis, qui cùm ad cõcionẽ lectum pro grabato, ornatus causa pronũciaret, acriter à Spyridone Sanctissimo viro castigatus est, bonas artes Beruci ambo didicerunt. vt de priore Nicephorus lib. 16. ca. 29. de posteriore lib. 8. cap. 42. testatur. Cùm ergò in*

*L. vnica de emẽd. Codic. Et l. 2. C. de vete. iure enuclean.*

*Niceph. li. 9. cap. 17.*

gò in tantum splendorem, & literarum gloriam Berytensis vniuersitas excreuerat, dolendum, profectò dolendum est, quòd celeberrima gymnasia, cum clarissimis professoribus, & lectissima Iuuentute horrendo terræ motu perierint.

## SIDONIENSIS

## VNIVERSITAS.

Sidonij multarum optimarum artium magistri, atq; astronomiæ, & arithmetici doctissimi professores, reliquarumq; philosophiæ partiù doctrina clarissimi extiterunt. Nam antiquum de atomis dogma, vt Possidoni<sup>us</sup> refert, Moschi est Doctoris Sidonij, qui ante res Troianas floruit. Hinc Beotus cum quo Strabo peripateticè philosophatus est, & Diodorus eius frater, & multi alij in omni literarum genere excellentissimi viri prodierunt, qui passim apud scriptores prædicantur.

Strabo lib.  
bro 16.

## DABIRITENSIS VNIVERSITAS OMNIUM ALIARVM

prima.

ADDabiritem quoq; urbem Phœnicis, haud procul ab Hebrum publicum olim gymnasiù fuit. quod omnium A<sup>siaticarum</sup>



um Academiarum primam extitisse probat Annius in Xenophōtem, quare scriptura ciuitatem literarū vocat Iosue cap. decimo quinto.

## PERSIA.

**P**ersæ bonas artes ab Assyrijs & Babilonijs accepisse quibusdam ex eo videntur, quòd præter institutionem, ceterasq; res, quæ ad literarum studia pertinent, eorum etiam literis ferè vtantur. Doctores verò Magi diligentissimæ naturæ scrutatores cum sint, per ociū, quo abundant, diuinas res contemplati, discipulos suos ijsdem initiant mysterijs auctore Philone: tantæq; apud eos semper authoritatis fuerunt, vt regibus consilij capiendi gratia assisterent, & nemini regnare liceret, qui non ante Magorum disciplinam scientiamq; perceperat, vt libro de diuinatione scribit Cicero. Dijs etiam Immortalibus pro repub. Persarū preces & sacrificia offerebant, eorundem que synceriores cultum, leges, & Iura Maiorum carmine comprehensa Iuuentuti ad discendum proponebant. Iam verò si quid per amplissimum Persarum Imperium notatu dignum accideret, si-

deli-

Epiphani.  
hgresi 66.

deliter in historiam referebāt. Quorum  
 auctoritate Apollophanem sophistam  
 premere videtur Dionysius Arcopagi-  
 ta epistola 7. ad Policarpum. Quicquid  
 enim scripserant publicam, vt Notario-  
 rum nostrorum, fidem habebat vt re-  
 fert Metasthenes de iudicio temporum.

## DE GYMNASIORVM

### PRAEFECTO.

QVem hodiè Vniuersitatis nostræ  
 Rectorem vocamus, Persæ Archi-  
 magum appellant, quod ex cap. 13. lib. 2.  
 ecclesiasticæ historiæ Zosomeni non ob-  
 scurè colligitur. Qui vt officium suum  
 diligenter faciant, & auctoritatem, quæ  
 maxima est, honestius tueantur, quatuor  
 libras auri in singulos menses ex ærario  
 percipiunt, id quod refert Abdias Babi-  
 lonius Apostolicæ historiæ lib. 6. Philo-  
 sophiam suam sic illustrarunt, vt iam o-  
 lim exterarum gentium prudentissimi-  
 cam admirarentur. Nam Pythagoras I-  
 talicæ Philosophiæ autor & Princeps, ex  
 Aegypto in Persiam profectus, Magorū  
 exactissimæ prudentiæ se formandam  
 tradidit, à quibus siderum motus cur-  
 susq; stellarum, & vniuscuiusq; rei pro-  
 prie

prietatem, atq; effectū docili animo suscepit inquit Valerius li.8.ca.7. Etsi paulatim Græcorum philosophiam desiderare cœperunt. Nam eorum reges clarissimos è Græcia philosophos, maximis præmijs euocarunt. sicut Magni Antaxerxis epistola declarat.

REX REGVM ANTAXER-

XES HYSTANO HELLESPONTI

*præfesto salutem.*

**H**ippocratis Medici Aesculapio prognati, ad me artis fama peruenit, da igitur operam vt aurum illi tribuas quantum vult, aliaq; quorum indiget, & eum ad me mitte, erit enim par honore summis in Persia viris: Et si quis in Europa fuerit vir clarus, hunc amicum domui nostrę redde, minimè parcens pecunię, viri enim quanquam parentes haud facillè inueniunt, quod honestè cupiunt. Vale. Rursus omnium pulcherrimè Darius ad Heraclitum, apud Diogenem libro 9. Rex Darius auditor tuus esse cupit, particepsq; Græcæ eruditionis fieri: venias igitur statim ad conspectum meū ac regiam domum. Apud me enim adderit tibi omnis honor, primatusq; omnis, quotia

Volater  
ranus lib.  
16. An-  
thropo.

quotidieq; sollicita obseruatio, & grata  
 colloctio, vitaq; tuis moribus probabi-  
 lis. Sacram verò Theologiam à Simone & Turca-  
 & Iuda Apostolis Iesu Christi percepe-  
 runt. A qua etsi propter Magorum per-  
 tinaciam, libidinemq; dominandi defe-  
 cère: tamen multò humaniores, melio-  
 res & prudentiores sunt, quàm Turcæ &  
 Sarraceni. hi enim bonas literas obscura-  
 re atq; extinguere prorsus conantur: illi  
 verò contra colunt, ornant, venerantur-  
 que. Horum reges & *μυσοι* illorum ferè  
 doctissimi viri sunt. Nam Ismael Persa-  
 rum Imperator disciplinarum propè o-  
 ranium studia, præalto ingenio ad con-  
 templationem rerum diuinarum ita re-  
 ferebat, vt vetere Magorum arcano do-  
 gmate seipso, qui ambitiosum Sophi co-  
 gnomen susceperat, admirabilior euade-  
 ret, cum iam pridem cœlestis sapientiæ,  
 & diuinationis opinione incredibiles vi-  
 ctorias & maximum Imperium sibi pe-  
 perisset. Et Cosroës Mathematicarū ar-  
 tiū peritissimus, Rom. Imperij decemē  
 ta, & ruinam prædicere potuit: Græcorū  
 verò philosophiam sic callebat vt sum-  
 mis in ea viris haud inferior haberetur.

Persarum  
& Turca-  
rum com-  
paratio.

Iouius li.  
14. histor.

K quod



quod Zonaras lib. 3. annalium & Volaterranus testatur. Bibliothecam Susis instructissimam habuerunt ut Metasthenes Persarum historicus in li. de iudicio temporum fatetur.

## AETHIOPIA.

**A**Ethiopes quoque bonarum artium adeo studiosi extiterunt, ut Lucianus Samosatensis, *ωρεσι & σοφολογίας*, quos homines sapientia antecellere, & astrologiæ peritiam vniuerso orbi tradidisse affirmare ausit. Cùm enim propter regionis oportunitatem, lunam non semper eodem vultu apparere cernerent, sed in varias sæpè formas mutari, visa est illis ea res disquisitione digna, & propter admiratiõem, eius causas, atque rationem inuestigare cœperunt: eò usque progressi, ut hoc tempore nihil in ipsis desiderare possis. Nam Doctores Balsamati siue Tenquati quando ad supremum eruditionis gradum conscenderunt, omne doctrinarum genus fidelissimè, diligentissimeque interpretari dicuntur. Apud eos præsertim Aethiopes, qui Aegypto proximi Theosophiam, quam ab Apostolis Iesu Christi hauserunt, fideliter hæctenus, præter

præter errores quosdam Græcorum retinent, sub Inuictissimo Pretoianne sexaginta duorum potentissimorum regum Imperatore Christiano, quem illi Giam id potentem, siue à præciosissima gemma Bilulgiam, vulgo presbyterum Ioanem vocant. Qui etsi potentissimus Imperator est, grauissimisq; maximi Imperij negotijs semper ferè inuoluitur: tamè rem literariam minimè negligit, sed varias horas bonis artib. præsertim historijs, & literis sacris totas impedit. Quoniam veteris & noui testamenti libros ex Chaldaica lingua trãslatos habet. Quamquam Chaldæam etiam linguam non ignorat, quia ad Sixtum Pontificem Romanum legati sacerdotes, Chaldæa lingua horas Canonicas persoluebant auctore Volaterrano. Iam verò Bohemus li. 3. de moribus gentium narrat, nō paucos in Aethiopia homines reperiri, qui non solum omnium hominum vocem, auiumq; cantus addiscere, effingere, atque imitari: verum etiam simul interrogare & respondere, sorbere & flare possint. linguam dissectam habeant, & ferè duplicem, ad omnes necessarios vsus ac-

Sabelli.  
Ennead.  
10.

Iouius lib.  
18.

commodatissimam, ut mirificè præ cæteris hominibus ad percipiendam sapientiã ab ipsa natura instructi esse videantur.

Egregiam præterea Imperator bibliothecam habet, in qua præter cætera vetustissimorum scriptorum monumenta, liber Enoch, de quo supra mentionem fecimus hæctenus fideliter conseruatur.

## INDIA.

**A** Pollonius dicere solebat auctores esse Aethiopibus, quod in aere puriore versarentur: & veriora de dijs, rerumque natura dicere, quia propius apud deos habitarent. Sapientes verò eorù Gymnosophistę dicebantur, quoniam non in urbibus, quas India nobilissimas, & florantissimas infinitas habere dicitur, sed in solitudinib. vagi, nudiq; philosophabantur. Futuras siccitates, ventos, pluuias, & variorum morborum genera regibus præducturi, ab ortu solis vsq; ad occasum, fixis oculis corpora cœlestia contuebantur. Mundum hunc corruptibile esse, & sphaericę figurę, & à Deo gubernari, terramq; in medio eius quietcere asseriebant. Animorum verò de corpore

in corpus transitum ita defendebant, vt  
 quoniam olim extitissent, scire se profite-  
 rentur, vt author Gazæ Theophrastus.  
 Nec Reipub. tantum, & viuorum homi-  
 num: verum etiam mortuorum curam  
 gerebant, quasi Dijs immortalibus pro-  
 pter singularem continentiam, bonarū-  
 que artium doctrinam chariores, ea etiā  
 que apud Inferos agerētur perspicerent.  
 Quare Apollonius omnium hominum  
 sapientissimos extitisse, atq; adeo diuine  
 nature participes affirmabat authore Eu-  
 sebio libro 5. contra Hieroclem. Horum  
 Rector & princeps Iarchas in throno au-  
 reo philosophabatur eo tempore, quo  
 Apollonius ibi studiorum gracia viue-  
 bat. vt lib. 1. aduersus Iouinianum testa-  
 tur D. Hieronymus. Qui patris & ami-  
 corum nomina, & omnia quæ ipsi Ap-  
 pollonio per vniuersam vitam euenerāt,  
 quasi ea coram geri vidisset, verissime,  
 promptissimeq; recensere poterat. Dein  
 de Buddam appellare cœperunt, à Bud-  
 do quodam omnis virtutis, & sapientie  
 vt opinabantur authore, & quasi Deo  
 Quæ ex virginis latere, præter humanū  
 nascendi morem procreatum scribuntur.

Volater.  
lib. 13.

Clemens  
li. 1. Stro.



non secus atq; Græci Mineruam ex capite Iouis profiliisse fabulantur. Admonentes opinor suam Iuuentutem, capitalem quendam adolescentiæ hostem, ingeniorumq; oppressorem, & bonorum studiorum pestem existere incontinentiam, & voluptatem. De Oxidrachis scribit Volaterranus li. 13. Meritò sapientes & sanctos appellari: quod urbem suam florentissimam oratione sola conseruare potuerint, hostes enim si fortè ipsis bellum, aut iniurias inferre moliretur, Iupiter exoratus tonitru & fulmine pro-pulsabat. Haud mirū ergo si inter Christianos pij & eruditi viri, optimè de re publica mereri, vigilijs & orationib. suis Deum placare, & grauissima bella auertere atque extinguere dicantur. Reliqui autem gymnosophistæ, præsertim apud Brachmannos circa educationem Iuuentutis diligenter occupabantur. Nam statim ut puer in utero matris conceptus esse deprehenderetur, matri continentia præcepta, & certas viuendi leges præscribebant, postquam verò natus atq; in lucem æditus erat, pro ratione ætatis elegantiores, & peritiores Magistros dabant. Quæ

Strab. lib.  
15.

Qua ex re fiebat vt Matribus ipsis optimi liberi nascerentur: & rempub. utilissimis ciuibus replerent: atq; in omni doctrina & virtute præstantissimos viros, in vniuersum terrarum orbem India produceret. Refert enim doctissimus ille Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatû, quod Alexander magnus cùm victor in Indiam peruenisset, decem gymnosophistas ad decem difficilimas quæstiones respondere coegerit, quas tam dextrè foelicitèq; explicare potuerint, vt & ipsi Alexandro, magni Aristotelis discipulo cumulatissimè satisfacerent: & Græcorum philosophi qui in exercitu erant, eorum sapientiam mirarentur. Alexander igitur Imperator Indorum sapientiam eruditæ Græciæ (quæ omnes præ se velut barbaros contemnebat) ostentaturus. Calanum gymnosophistarû facilè principem hortari coepit, vt secum proficisceretur, paraturus magnam gloriã in tota Europa & Asia, quod vbi non impetraret, per vim se abducturum minarus est. Cuius præcepto Calanus animo præfenti respondit. Epistolam enim quia elegantissima est, & verè philosophica, sicut

apud Philonem in lib. quod omnis probus liber, & B. Ambrosium nostrum lib. 2. epistola 7. recitatur hic ascribendam putavi.

## CALANVS ALE-

XANDRO.

**A**Mici tibi suadent vt cogas Indorū Philosophos, ne per somnum quidē conspicati nostras res, & nostra negotia. Corpora de loco ad locum transferas, animis inuitis nullā vim inferes, nihilo magis quā si lateres & ligna cogas vocem mittere. Ignis corporibus viuis maximos dolores excitat nō sine pernicie: hunc tamen nos despiciamus dum viui comburimur. Nullus rex, nullus Princeps potest efficere, vt quicquam agamus prāter animi sententiam. Non sumus Græcorum philosophorum similes, qui diu meditando orationes recitant in celebritatum conuentibus, apud nos res à verbis non discrepant, breui momento beatitudinem & fœlicitatem adipiscimur. Vale. An autem Calanum Alexander vt secum proficisceretur permouere potuerit incertum est. Strabo tamen lib. 15. geographiæ, quosdam gymnosophistas vi-

stas viſos in Macedonia eſſe affirmat.  
 Hoc certè inter ſcriptores conuenit, Plu-  
 rimos Græcorum maximis laborib. eo-  
 rum doctrinæ percipiendæ gratia, in In-  
 diam nauigaffe. Hoc tempore cùm ſyn-  
 cera religiõe Chriſtiana, à Sereniſſimis  
 Inuiſtiſſimisq; Hiſpanorum, & Luſita-  
 norum regibus, varia bonarum artium  
 gymnafia, Vniuerſitates & ſcholas acce-  
 perunt, & verus ille aſperior philoſophã  
 di mos, ad mitiorem facilioremq; ſicut  
 in noſtris vniuerſitatibus obſeruatur, tra-  
 ductus eſt: vt quemadmodum vera pieta-  
 te & religione nos ferè ſuperant: ita bo-  
 nis artibus nequaquam à nobis ſuperen-  
 tur. Nam Goæ totius ferè Indiæ metro-  
 poli collegium eſt SANCTAE FIDBI, tã  
 celebre quod vltra quingentos ſtudioſ-  
 ſos alere poſſit, Proregis & ciuium libe-  
 ralitate extructum. Urbis Themiltitanæ  
 in regno Mexicano philoſophi, olim  
 Druidarum ſuperſtitiones profitebant,  
 & hieroglyphicis imaginibus annales cõ-  
 ſcribere ſolebant, ſed cùm Ferdinandus  
 Cortefius eorum vrbe potit⁹ eſſet, ad pu-  
 riorẽ philoſophiam (dociles enim in-  
 genioſiſſimi, & noſtrarum artium admi-



Orosius  
lib. 3. de  
Gloria.

ratores erant) facile perduxit. Cataij vero Syrenarum regionum vrbs amplissima ciues, bonarum artium studiosissimi, nemini summum Imperium committunt, nisi se probarit esse omni doctrina cumulatam. Nec enim in mandatis honoribus, aut generis, aut fortunæ rationem habent, sed tantum disciplinæ. Omnes igitur qui principatum expetunt in artium studia incumbunt. Vbi autem credunt se aliquam progressionem fecisse, ad certos Iudices, huic muneri designatos accedunt, quorum suffragio aut indocti repelluntur aut vt docti certis honorum insignibus, & minoris Iurisdictionis alicuius administratione ornantur. Qui autem diutius in studio permanere, & in maioribus disciplinis versari cupiunt, vbi certum cursum absoluerint, aliud iudicium longè grauius subeunt. Iudicantur enim à viris multò doctioribus, quibus si satisfecerint ad altiorem honoris gradum ascendunt. Quod si adhuc ampliorem sibi honoris spem proponunt, plures annos in studio consumere atque ordinatim alia atq; alia doctissimorum hominum iudicia subire oportet. Etsi pauci

pauci per omnes doctrinæ gradus ad amplissimum locum ascendunt. quod multos præstantior vis naturæ, non paucos fortunę deficiat. Hi tamen pauci summum Imperium in supremo rerum fastigio collocari administrant. Typographicæ artis peritissimos viros habent, qui libros nostro more imprimant, quorum longissima folia introrsus quadrata serie concipiantur, cuius generis volumen superioribus annis Ioannes Lusitanix rex Pontifici Romano transmisit. Ut Iouius asserere ausi, eius artis exempla, antequam Lusitani in Indiam penetrarent, per Scythas & Moscos ad incomparabile literarum præsidium in hæc loca peruenisse. Sed quanquam dubium non est simile circa rem literariam studium, apud alios plurimos Indię populos obseruari: tamẽ certi hæctenus nihil amplius quàm dictum est deprehendere potui. Futurum spero ut viri docti, suis literis, quę in hæc loca nunc perferunt, hæc etiã nobis communicare dignentur. Id enim & ipsis dignum, & nobis utile, atq; iucundum erit. Nec ipsi Indi molestè terre possunt: si à quibus veram religionem percipiunt, literarum præsidia, quibus eam hic propugnemus remittant.

## APHRICA.

Juuenalis  
Satyr. 7.

**N**Viracula caufidicorum Africai  
 Vafra & acuta natio, nouarū & m,  
 rabilium rerum, maximorum ingenio-  
 rum, doctiffimorumq; hominū procrea-  
 trix femper extitit. Si enim velimus refri-  
 care memoria temporum, reperiemus  
 prætantiffimos in omni artium genere  
 viros eam produxiffe. Nam acerrimi ec-  
 clefiæ Christianæ, & veræ sapientiæ euer-  
 fores hæretici quamplurimi: grauiffimi  
 quoq; & eruditiffimi eiuſdem patroni  
 & vindices Tertullianus, Ciprianus, Au-  
 guſtinus, Optatus Mileuitanus &c. ex A-  
 frica prodierūt. Quorum præſtans inge-  
 nium, vehemens, acre & neruoſum dice-  
 di genus, iacredibilemq; doctrinam, v-  
 niuerſi terrarum orbis ſapientes meritò  
 admirantur. Et idcirco Africam fœcū-  
 dam, fœlicem, & ingenioſam prædicāt.  
 Philoſophiam verò ſuam à Phœnicibus  
 accepiffe videntur, Nam eorum literis  
 & lingua vtuntur, etſi non nihil  
 corruperint vt author eſt D.

Hieronymus in episto-  
 la quadam ad Paulam & Euftochium.  
 Cartha

## CARTHAGINENSIS

## ACADEMIA.

**C**arthago omnia quibus in toto mū-  
 do disciplina reipublicæ regitur in  
 se olim habebat. Illic enim artium libera-  
 lium scholæ, illic philosophorum officina,  
 linguarum deniq; & morum gym-  
 nasia extitère inquit Saluianus libr. 7. de  
 Iudicio & prouidentia Dei. Tertullianus  
 ille celeberrimus scriptor (Nam philo-  
 sophos hic enumerare quid attinet?) in  
 Carthaginensi Academia professus est.  
 Gloriosus etiam martyr Cyprianus, qui  
 philosophia & eloquentia tantum reli-  
 quos martyres anteit, authore Nazianse-  
 no. quantum bruta à ratione præditis su-  
 perantur, antequàm Christianam religi-  
 onem profiteretur Rhetoricam docuit.  
 vt refert Sanctus Hieronymus in caput  
 3. Ionæ Prophetæ & catalogo scriptorum  
 ecclesiasticorum. Beatus quoq; Augusti-  
 nus vbi bonarum artium fundaméta vt-  
 cunq; ad Medauros iecerat. Carthagi-  
 nem à patre studiorum causa missus est.  
 sicut ipse fatetur lib. 2. confessionum ca.  
 3. Atq; summo labore & incredibili indu-  
 stria tantum profecit, vt Cathedras A-  
 risto



aristotelis sine præceptore perciperet, Re-  
 thoricam bene ornateq; dicendi artem  
 publicè profiteretur, & Mathematicarū  
 artium difficultatem superaret quod li.  
 4. Confessionum suarum ingenuè fate-  
 tur. Sed cū petulantiam studiosorum  
 Carthagenensium amplius tolerare non  
 posset, erant enim immodesti in præle-  
 ctionibus, & rebelles atq; iniurij in suos  
 præceptores, tunc demum Romam pro-  
 fectus est, vt capite 8. lib. 5. Confessionū  
 videre licet. Vtinam verò hoc malum in  
 nostras Vniuersitates nunquam irrep-  
 set, vt discipulorum quorundam proter-  
 uia, & ingratitude optimorum Præce-  
 ptorum animos à se alienarent. Neque  
 solum in patria Iuuentutem suam erudi-  
 re Carthagenenses voluerunt: sed in Sici-  
 lia quoq; Græcarum artibus instituendā  
 curabant. Verū vbi ea ratione fieri ani-  
 maduerterent, vt secretiora cōsilia à per-  
 niciosiſ ciuibus ad Dionysium tyrannū  
 perscriberentur: Senatū consulto verue-  
 re, ne quis posthac Græcorum literis stu-  
 dieret, vt in Annalibus eorum contineri  
 scribit Rhodoginus li. 22. Lectio. An-  
 tiquarum. Carthagini præterea Severus  
 Impe

Imperator tam magnum in bonis literis  
 progressum fecit, vt decimo octauo æta-  
 tis anno publicè declamare posset. Et  
 Clodius Albinus in vtraq; humaniori li-  
 teratura doctissimus Cæsar euasit. Qui  
 necessarias propter Reipublicæ negocia  
 à studijs auocationes, vt videtur, deplo-  
 raturus in schola subindè exclamare so-  
 lebat.

Arma amens capio: nec fat rationis in  
 armis.

## CYRENENSIS

## ACADEMIA.

Quæquam Cyrenensibus Plato,  
 propter maximam eorum fœlici-  
 tatem, certas viuendi leges præscribere  
 recusauit authore Plutarcho: tamen ab a  
 lijs præstantissimis viris, & has ipsas vber  
 tim: & alias quoq; doctrinas quibus lon-  
 gè adhuc fœliciores euaderēt accepere.  
 Florentissima enim eorum Vniuersitas  
 doctissimos in omni literarum genere  
 philosophos erudiuit, qui recitant à Stra-  
 bone lib. 17. Cratippus nimirum Socrati  
 cus Cyrenaicæ philosophiæ autor & prin-  
 ceps, Areta eius filia quæ in schola ipsi  
 successit, & huius filius Aristippus qui  
 matris

Plutarcho,  
 de eruditâ  
 one prin-  
 cipum.

matris discipulus & successor <sup>μὴν γοῦν ἰδὲ αἰ</sup>  
 κτος vocabatur, præterea Calimachus et  
 Erathosthenes, quos propter singularem  
 variarum artium doctrinam Aegiptio-  
 rum reges honorarunt. Item Carneades  
 quem Academicorum optimum ferè cõ-  
 fitetur & Cronus Apollonius &c. Anni  
 ceris collapsam nonnihil Cyrenaicam  
 scholam sic instauravit: vt Anniceria ab  
 ipso aliquandiu denominaretur. Clarif-  
 simus quoq; Lacides, nouæ Academicæ  
 princeps, Arcesile auditor & discipulus,  
 haud parum huic vniuersitati sapientiz  
 & splendoris attulit. Verum enimvero  
 ab eruditione & industria huius Acade-  
 miæ alumni cum apud alios scriptores:  
 tum imprimis Ciceronẽ frequenter me-  
 ritò prædicantur. Habuerunt quoq; Iudæi  
 celeberrimam synagogam. Nam quan-  
 do Ptolomeus Epiphanes, & Antiochus  
 potentissimi reges, de Palestinæ Impe-  
 rio decertabãt, celeberrimi quiq; Iudæo-  
 rum partim Heliopolim: partim Cy-  
 renem, vt victoris tyrannidem eua-  
 derent, autore Vincentio lib.

6, speculi capite 54. pro-  
 ficiscebatur.

Græcia

## GRÆCIA.

GRæci omnem bonarum artium doctrinam ab Hebræis, & Aegyptijs haulerunt: quod ego plurimis grauissimorum Authorum testimonijs comprobare possem, nisi hac in re doctissimi viri ante me diligentissimè laborauissent. Nā Socrates apertè fatetur, quod Pythagoras Samius ex Aegypto liberales artes, & philosophiam primus in Græciam intulerit: Et Eusebius Cæsariensis in libris de præparatione euangelica, nihil magis Græcos, præter eloquentiam inuenisse eleganter demonstrat. Libri enim Mosis iam antè Alexandri Magni Imperium, etsi non sat commodè, translauerant, vt Clemens Alexandrinus & Eusebius authores sunt: vndè philosophi plurima transcribere potuerunt. Quod quidem ipsi tam infideliter fecêre, vt quæ rectè dicta inuenirent, dissimulatis earum rerum authoribus, aut fabulis peruerterent, aut vsurparèt pro suis, aliorum plurimis sese ostentantes. Vt Clemens lib. 1. & lib. 5. Stromatum fures appellare non vereat. Quod enim scriptura sacra Mo-

Clemēsi.  
1. Stroma.  
Eusebi. li.  
lib. 13. ca.  
7. Euang.  
præparat.



Exod. 33.  
Clemens li.  
2. Stromata.

Lactan. li.  
5. cap. 5.  
Rhodogianus  
lib. 7.

sen à Deo leges accepisse, cumq; eo de facie ad faciem locutum esse docet, hoc illi ad Minoen legislatorem falso transtulerunt, quem nouem annos cum Ioue versatum fabulantur. Quod pluribus etiam rationibus confirmarem, nisi à veteribus & hic locus perpurgatus esset. Pulcherrimum tamen Gazæ Theophrastum prærire non possum, in quo dialogo primo Syrus, deinde Aegypti, tertio loco Græcus philosophus introducitur: quia verà de animo sententiam à Iudeis Aegyptijs ab Aegyptijs Græci didicerunt. Primi autem apud Græcos eruditionis nomine celebres extiterunt Poetæ, quorum alij Musicæ, alij Medicinæ, quidam etiam Astronomiæ peritissimi erant. Inter quos Homerus & Hesiodus omnium longè celeberrimi, diu ante urbem conditam habebantur, vt Cicero lib. 1. & 5. Tusculanarum quæstionum, Gellius lib. 17. cap. ultimo. Strabo lib. 1. geographiæ tradiderunt. Sunt veteres historici, qui vtique ad Saulis, aut saltem Salomonis filij Dauid, regis Israel tempora reijciant. Circa Cyri verò regis Imperium, qui Iudæos libertate donauit, septem Græcorum

σοι floruerunt, mille & centum ferè an-  
 nos post Mosen inquit Eusebius lib. 10.  
 de Evangelica præparatione cap. 3. Nam  
 hæcenus qui in rerum contemplatione  
 studium ponebant, σοφοι vulgò nomina  
 bantur. Idq; eorum nomen ad Pythago-  
 ra manavit æratem, autore Cicerone li-  
 bro 5. Tusculanarum quæstionum, & La-  
 ercio libro 1. de placitis philosophorum.  
 Pythagoras verò, qui hoc primus nomē  
 inuenit, cū paulò plus saperet, quàm  
 illi priores, qui se sapientes putauerunt,  
 intellexit nullo humano studio posse ad  
 ipsam sapientiam perueniri, atq; idcirco  
 non oportere incomprehensæ, imperfe-  
 ctæq; rei, perfectum nomen imponi: Ita-  
 que cū ab eo quæreretur, quemnam  
 se profiteretur: respondit φιλόσοφον, id  
 est, quæsitorem sive studiosum sapiētia.  
 Porro philosophorum statim ab initio  
 duo genera fuerunt: Alij enim Ionici, a-  
 lij Italici philosophi dicebantur. Quorū  
 illi à Thalete Milesio profecti, magna di-  
 ligentia vsi sunt in rebus naturalibus, &  
 astrorum cursibus inquirendis: hi verò  
 Pythagoram sequuti in Arithmetica &  
 Musica occupati fuerunt. Thales ergò

August. li.  
 18. de Ci-  
 uit. dei. ca.  
 25 & 37.

I. actan.  
 lib. 3. ca. 2.

Sectæ phi-  
 losopho-  
 rum.

ad contemplandam rerum naturam sese transtulit, primusq; in trecentos sexaginta dies annum parritus est. Quanquam enim antea duodecim menses habuerat, tamen solarem motum ad lunæ cursum referre cogebantur. Primus etiam ecclesiam prædixit, & puncta æquinoctiorum repperit, rerum naturalium diligentissimus perscrutator. Atq; id philosophorum genus diu circa vnam solum speciem, φυσικὴν nimirum versabatur. Socrates verè existimans eius doctrinæ in communi hominum vita haud magnum fructum esse, & ad vitæ officia non multum pertinere: Primus eam philosophiæ partem inuexit, quæ ἠθικὴ vocatur. Et de ea in omni loco differens, suis sectatoribus mirifice prædicabat: eaq; omnibus hominibus potius inquirenda hortabatur quæ mores formarent, & quarum rerum usus supra modum necessarius esset. Quapropter M. Cicero Tusculan. questionum lib. 5. Socratem è cælo philosophiam deuocasse, & in urbibus collocasse, & in domos introduxisse scribit: Libro autem 2. de Finibus bonorum & malorum philosophiæ parentem appellat. Et si Laertio non

non tam inuenisse Ethicem, quàm ab Archelao præceptore dicta, scripta q̄; propagasse creditur. His duabus partibus ( si tamen non Instrumentum magis quàm pars appellanda est ) Plato λογικὴν addidit, & consummato philosophiæ operi extremam manum imposuit, atq; in vnũ corpus triplicem philosophiæ compegit rationem, authore Laertio. Nam alij de singulis partibus seorsim scripserat: Plato autem vir natura præstans, & verè diuinus, inquit Eusebius lib. II. cap. I. de Evangelica præparatione, nullam imperfectam reliquit, sed in vnum corpus, & animal integrum reduxit. atque omnes partes simul complexus, nec in necessarijs defuit, nec ad inutilia prolapsus est. Is duos studio & doctrina præstantissimos discipulos reliquit, Xenocratẽ Chalcædonium, & Aristotelem Stagiritem. Sed abundantia quadam ingenij præstabat Aristoteles, qui tantã in dicendo scribendoq; industriam adhibuisse prædicatur, vt ne verbum quidẽ vllum frustra, aut parum rectè vsurpãrit, & nemo Græcorum figuris, & verbis Græcis, aptius, magisq; propriè sit vsus. Hic vniuersam

viues in  
cap. 12. li.  
8 de Ciui  
tat. Augu  
tini.



philosophiam diligentissimè omnium,  
 vt mihi quidem videtur, accuratissimè  
 que perscripsit. vt non abs re Fab. Quin-  
 tilianus lib. 10. Institutionum ca. 1. dubi-  
 tet, an scientia rerum, an scriptorum co-  
 pia, an eloquendi suauitate, an inuentio-  
 nis acumine, an potius operum varietate  
 clariorem putet: Et Aulus Gellius lib.  
 19. noctium Atticarum cap. 5. omnis hu-  
 manæ rei peritissimum: Alij naturæ mi-  
 raculum fuisse affirmant. Quare etiam  
 Maiores nostri ex omnium Veterū phi-  
 losophorum scriptis, hunc potissimum  
 in scholis retinuerunt, quippe qui elegan-  
 tissima Methodo, virtutes simul & vicia,  
 singularumq; præceptionum causas di-  
 ligenter persequitur. Rodolphus enim  
 Agricola lib. 3. Inventionis Dalecticæ  
 cap. 9. Aristoteles, ait, vir cum omni in-  
 genij laude multum, tum ordine rerum  
 plurimum admirandus, in tradendis ar-  
 tibus, quæ dispositio maximè conueni-  
 at, vobis ex omnibus videtur effinxisse.  
 Quomodo autē Aristoteles suos libros  
 partiri, & quibus temporibus docere co-  
 tueuerit, refert Gellius lib. 20. noctium  
 Atticarum ca. 4. Commentationum sua-  
 rum ar-

Arist. in  
 scholis re-  
 seruatur.

rum artiumq; quas discipulis tradebat Aristoteles philosophus, Regis Alexandri magister, duas species habuisse dicit. alia erant, quæ nominabat ἐξωτερικά, alia quæ ἀκροαματικά appellabat. ἐξωτερικά dicebantur, quæ ad rhetoricas meditationes, facultatem argutarum, civiliumq; rerum notitiam conducebant. ἀκροαματικά autem vocabantur, in quibus philosophia remotior subtiliorq; agitabatur, quæq; ad naturæ contemplationes, disceptationesque dialecticas pertinebant. huius discipline, quam dixi ἀκροαματικήν, tempus exercendæ dabat in Lycio matutinū. Nec ad eam quenquam admittebat, nisi quorum ante ingenium, & eruditionis elementa, atq; in discendo studium laborq; explorasset. Illas verò ἐξωτερικάς eodem in loco vesperi faciebat, easq; vulgò Iuuenibus sine delectu dabat, atq; eū δεινόν περιπάτον appellabat: illum alterum supra ἑωθινόν. Vtroq; enim tempore ambulans differebat, librosq; suos earum rerū omnium commentarios seorsim diuisit, ut alij ἐξωτερικοί dicerentur, partim ἀκροαματικοί. Vtrumq; Cicero libro 5. de Finibus bonorum & malorum

& latinè, & breuiter sic expressit. Duo genera librorum sunt vnū populariter scriptum quod ἐξωτερικόν appellant, alterum limacius, quod in commentarijs reliquerunt. Sed de his vt videtur in præfens dictum satis. Nam qui plura scire desiderat, legat ille, quæ Plutarchus & Laërtius ex professo perscripserunt. De Poesi, & Historia Græcorum, nūc pauca quædam differenda videntur.

## DE POESI.

**D**E poeticæ artis origine Horatius Flaccus.

Musa dedit fidibus Diuos, puerosq; Deorum,

Et pugilem victorem, & equum certamine primum,

Et Iuuenum curas, & libera viua referre.

Nam veteres in Græcia Agricolaë, cū sacrum Libero patri, gratias pro annuo prouentu acturi, facerent, primò aliquid vice precum cantillabant, deinde vt propiciores redderent liberum, eius gesta, victorias, subactosq; reges concinebāt. cœpitq; præmium industriæ proponi caper, vel capri sacrificati corium vino plenum. Mirum profectò, quòd agrestes & nullis

nullis legibus exculti, neq; certa adhuc  
 religiōe imbuti viri, diuos humanis pre-  
 cibus, & laudibus permoueri, atq; pro-  
 pter eorum cultū vberiores fructus, bo-  
 norumq; omnium affluentiam proue-  
 nire, melius quàm nunc Christiani qui-  
 dam cognoscere potuerint. Hoc autem  
 Horatius quoq; libro 2. epistola 1. indica-  
 re videtur.

Agricolæ prisci, fortes, paruoq; beati  
 Condita post frumenta, leuantes tempo-  
 re festo

Corpus, & ipsum animum spe finis du-  
 ra ferentem,

Cum socijs operum, & pueris & coniu-  
 ge fida

Tellurem porco, Sylvanum lacte pia-  
 bant,

Floribus & vino Genium memorē bre-  
 uis æui.

Sed vbi in Libero patre, deuictisq; ab eo  
 regibus in singulos annos parum mate-  
 riæ imperitiis adhuc superesset: Cæ-  
 terorum quoq; Heroum facta cantari ce-  
 perunt. Atq; Tragædiæ origo fuit, & πῶ-  
 τῶν ἑρέως, siue hirco, quem accipiebat vi-  
 cor in eo certamine. Vnde Horatius.



Carminē qui Tragico vilem certauit ob-  
hircum.

In quo carminis genere tantum profecit Arion, ut eius autor à plerisq; esse creditur. Etsi Fabius lib. 10. oratoriarum Institutionum cap. 1. Aeschylum in lucem eam protulisse scribit. Quæ res ubi populo vehementer placeret, Comœdia reposita est, qua improborum ciuium mores, & turpia facta proferebatur, ut malè audientes resipiscerent, & τῶν κῶμῶν ἀντιπαίσι, ὅσῳ οἱ ἐκώμαζον, quòd in vijs lasciuerent, dictisq; petulantioribus luderent. quòd fortasse allusit Horatius Satyra 4. libri primi:

Eupolis atq; Cratinus, Aristophanesq;  
poetæ,

Atq; alij, quorum Comœdia prisca viro-  
rum est,

Si quis erat dignus describi, quod malus,  
aut fur,

Quòd mœchus foret, aut sicarius, aut a-  
liòqui

Famosus, multa cum libertate notabant.

Verùm cū celeberrima re, quæ ad con-  
seruandos homines in officio introducta  
erat,

erat, nequiter abuterentur, & præteritis  
malis, bonos pro sua libidine nomina-  
tim perstringerent, atq; in præstantissi-  
mos viros petulantissimè incurrerent,  
prorsus sublata est. Vndè Horatius:

Succesit verus his Comœdia, non sine  
magna

Laude, sed in vitium libertas excidit, &  
vim

Dignam lege regi. lex est accepta, cho-  
rusq;

Turpiter obticuit, sublato iure nocèdi.

Succesit ergò Media, qua obliquè ta-  
citis nominibus perstringebantur mul-  
ti. quare in odium nobilitatis incurrit,  
quod ipsorum facta præcipuè notari vi-  
derentur. Idcirco ea quoq; durare nõ po-  
tuit, sed reperta Comœdia noua, quæ  
modestè confictis nominib. doceret po-  
tius, quàm reprehenderet. Vt non malè  
definiendo explicetur à Comicis Specu-  
lum humanæ vitæ, exemplar consuetu-  
dinis. Huius verò Princeps Menander  
fuisse prædicatur. Cuius Imitatores opti-  
mas quoq; leges, rerumq; naturalium  
(circa has enim etiam occupati fuère) &  
variarum artium naturas, rationesq; car-  
minis

minibus comprehensas ad posteritatem transmiserunt. Quare Theophrastus lectionem poetarum vehementer vtilem esse probabat. Nec immeritò, inquit Fabius. Namq; ab ijs & in rebus spiritus, & in verbis sublimitas, & in affectibus motus omnis, & in personis decor petitur, præcipueq; velut attrita quotidiano gratiissimarum rerum vsu ingenia, optimè reparantur.

## HISTORIA.

**I**n historiarum scriptione Græcis parum fidei olim tribuebatur, Vnde per vulgatum illud Iuuenalis satyra 10.

Quicquid Græcia mendax  
Audet in historijs.

M. enim Cicero in Oratione pro Flacco Tribuo, inquit, Græcis literas, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam, deniq; si qua sibi alia sunt non repugno: testimoniorum vero religionem, & fidem nunquam ista narratio coluit. Et paucis interiectis. Das mihi nullam gravitatem, nullam constantiam, nullum firmum in Græcis hominibus consilium, nullam deniq; esse testimonij

monij fidem. Cognoscitis enim nūc quę  
 sit leuitas propria Græcorum. Quod ne  
 ipse quidem Lucianus diffitetur, quan-  
 do in dialogo de Astrologia, Narrant in-  
 quit, Græci multa fabulosa, quibus ego  
 non admodum credo, Eius autem varie-  
 tatis & inconstantia duplex apud Iose-  
 phum causa recensetur. prior quidem,  
 quod nullos annales Græci, vnde verio-  
 ra de promerēt, habuere: posterior verò,  
 quod non veritatem, quæ historicorum  
 propria est, sed verborum proprietatem  
 elegantiamq; conſectabantur. Quam vt  
 conſequerentur, aliosq; in dicendo ſupe-  
 rarent, ne Poeticam quidem effrenatam  
 licentiam, libertatemq; vſurpare verebā-  
 tur. authore Fabio lib. 2. oratoriarum in-  
 ſtitutionum cap. 4. Primò autem apud  
 Græcos historia ſcribi cœpta eſt tempo-  
 re Cadmi Mileſij paulo ante Perſicam  
 ad Hellanicum expeditionem. Cuius au-  
 thores potētiffimorum Regum, amplif-  
 ſimarumq; rerumpub. benevolentiam  
 captaturi, multa pro libidine mendacia  
 admifcuerunt. Quocirca Methaſtenes  
 Perſarum chronographiam ex veterum  
 hiftorijs collecturus, Græcos omninò ſe  
 repu

Ioseph. li.  
 I. contra  
 Appionē.

Ioseph. li.  
 I. contra  
 Appionē.



repudiare dicit. Verùm postquam eam leuitatem & inconstantiam, libidinemque rixandi deponere & verã Iesu Christi doctrinam imbibere Græci voluerunt, rerum ecclesiasticarum historias verissimè grauissimèq; nobis reliquerunt: quippe qui non rumusculos populares, & gratiam hominum, vt illi priores, captare, sed ecclesiæ Christianæ splendorem, incolumitatemq; publicam, & salutem suorum ciuium promouere conabantur. Id quod de eorum scriptis copiosissimè affirmari posset, nisi ad eorum Academias hoc tempore properaret oratio.

## ATHENIENSIS

## ACADEMIA.

**D**E Atheniensis vrbis positione certamen inter deos fuisse proditum est: hinc enim humanitas, religio, iura, leges ortæ, atq; in omnes terras distributæ putantur, inquit Cicero pro Flacco. Nam propter commoditatem loci, cœlique temperiem acutissimi, propter diligentiam optimarum rerum acerrimi perscrutatores Athenienses fuerunt. Natio: hoc Athenæ erant in Græcia, inquit Philo

Cicero de fato.

Euseb. lib. 10. cap. 2. de Euang. præparat.

Philo in lib. qui Quod oīs p̄bus liber est  
 inscribitur. Thucydides ἐλλάδος ἢ ἐλλά-  
 δα Græciæ Græciam, Pythius vestā Græ-  
 corum, alij μόνον Græciæ appellare so-  
 lebant, vt refert Cælius Rhodoginus lib.  
 18. lectio. antiq. ca. 25. Nicep. gregoras ἡ  
 γὰρ ἐσίαρ vocat. Quia non in eam solum  
 curam incumbabant, vt Iuuetus in gym-  
 nasiis, de quib. mox dicemus, rectè insti-  
 tueretur, verum etiā populus in concio-  
 nem quam maximè frequēs ventitaret.  
 Obiectis enim repagulis quibusdam vi-  
 as reliquas occludebant, quæ non duce-  
 rēt ad forū, tum merces tollebat̄ è merca-  
 tu, ne quid hac gratia ibi cessaret̄ deniq;  
 μίτρον parabant, rubro colore oblitum,  
 quo duo ministri publici populū cingen-  
 tes, agebant in concionē. quisquis colore  
 notatus appareret cōtagio funis, multā  
 pendere cogebatur, quasi effugere volu-  
 isset. Si ad eum modum apud nos ratio  
 iniri posset, & Iuuetus prælectiones  
 scholasticas, populus verò conciones sa-  
 cras frequentare sub doctissimis, & opti-  
 mis viris cogeretur, certè longè minora  
 flagitia, & paucissimi errores in republi-  
 ca Christiana cernerentur.

DE

DE ACADEMIIS  
DE GYMNASIIS

PHILOSOPHORVM.

**G**ymnasia verò publica Athenis præcipua fuerunt, academia Lycium, & Stoa.

Inq; Academia vmbriфера, nitidoq; Lyceo,

Fuderunt claras facundi pectoris artes.

Stoa verò porticus fuit, quam Polygnotus in honorem Musarum pulcherrimè depinxerat, vndè à varietate picturæ *ποικίλον* vocabant. In qua Zeno peripateticus docere consuevit. Vndè & secta Stoica, & philosophi Stoici nuncupati sunt, cum antè Zenonij à præceptore dicebantur. His accesserunt Cauponum, cuius meminit Philostratus in vita Herodis Attici. Pritanium, & Tempe, quæ recitat Egnaci<sup>o</sup> in Seuero Spartiani. Dotissimus ille Viues in cap. 12. libri 8. de ciuitate Dei Augustini addit Cynofargicum, in quo Anthistenes Cynicæ familiæ autor & Princeps philosophabat. De Lacidio autem, Lacidis philosophi schola, apud Laertium libr. 4. videre est. Præcipua tamen sicut dictum est, fuerunt tria, vndè tres quoq; philosophorum se-  
etq; à

et à scriptoribus celebrantur: Nimirū  
 Academici, qui Platoni adhærebant, Pe-  
 ripatetici qui Aristotelem sequebantur,  
 qui Zenonem, Stoici. Academiam verò  
 omnium totius orbis nobilissimū gym-  
 nasium fuisse scribit Cicero epistola ad  
 Seruium Sulpitium. Quàm varia horū  
 gymnasiolorum professores docuerint, a-  
 cerrimeq; inuicem insectati sint, refert  
 Cicero lib. i. de Legibus. Cùm Gellius  
 proconsul ex prætura in Græciam venis-  
 set, Athenis philosophos, qui tum erāt,  
 conuocauit, ipsisq; magnoperè autor fu-  
 it, vt aliquando controuersiarum aliquē  
 facerent modum: quòd si essent eo ani-  
 mo, vt nollent ætatem in litibus contere-  
 re, posse rem inter eos conuenire aiebat.  
 Verùm de hac eorum repugnantia & va-  
 rietate Iustinus martyr, Eusebius Cæsa-  
 riensis in libris de Evangelica præpara-  
 tione, & Firmianus Lactantius ex pro-  
 fesso disseruerunt. Minimè igitur sperā-  
 dum est, inter nostrorum gymnasiolorum  
 professores, latens aliquod odium foue-  
 ri: etsi plerumq; certis de rebus leuiore  
 contentiones oriuntur. Philosophose-  
 nim offensæ & iniuriarum contempto-



res esse oportet, præfertim cum tantum ex hac re mali in vniuersam Academiã redundet: solent enim ferè discipuli sese ad ingenium & mores suorum præceptorum componere. Habebant verò singulorum gymnasiarum præfecti, siue regentes, suos exploratores per vniuersam ferè Græciam, qui studiosos præoccuparent, & sicut suis Magistris magnum eare lucrum importabant, ita ab ipsis vicissim mirificè diligebantur. Studiosis verò, antequam nomen suum profiterentur, de optimo commodissimoq; gymnasio deliberare licebat: sed vbi ad gymnasiarum perducti erant, permanere cogebantur, vt indicat Nazianzenus in Monodia Basilij: Sicut etiam nunc ad conferuandum gymnasia in nostris Academijs diligenter obseruatur.

## DE PRIVATIS

## COLLEGIIS.

**Q**uemadmodum hodie in Vniuersitatibus quibusdam singularum nationum studiosi, priuata quædam collegia, Vniuersitatis tamen permissu habere cernuntur: Sic Athenis quoq; obseruatum fuisse videtur. Refert enim Gell.  
lib.

lib. 18. Noctium Atticarum cap. 2. quod Itali omnes, certis quibusdam legibus sæpissimè in vnum aliquem locum, de communi omnium salute consulturi, & grauioribus studijs exercitationibusque vacui, sese non nihil recreaturi, conuenire solebant. Tum enim singuli ex ordine cœnulam instruebant, totidemque res quærebant, quot studiosi conuenerant. Præmium soluendæ quæstionis, veteris alicuius scriptoris librum Græcum aut Latinum, prout natio & patria suadebat, & coronam è lauro ponentes. Rem, locumque dicendi fors dabat. Quæstione soluta, præmio quisque & corona donabatur, non soluta, transmittebatur ad eum, qui sortitò successerat, si nec is dissolueret, præmium & corona Deo, cuius festum erat, dicabatur. Quæ exercitatio ad secretissimarum rerum inuestigationem, & bonarum artium studia eos vehemèter excitabat. Quales autem se in conuiuio philosophico gesserint, supra in prolegomenis dictum est.

## DE PHYSIOLOGIA.

**A**rchelaus Anaxagoræ Clazomenij discipulus, primus naturalem

philosophiam, (vndè & Physicus appellatus est athenas) importasse creditur. In qua multi post eum diligentissimè laborârunt, vt mirificè excultam non philosophi solùm, verum etiam reges eam venerationarentur. Nam Alexander Magnus Aristotelem præceptorem, quòd eas disciplinas, quibus ipse cæteris anteire cupiebat, diuulgasset, acerrimè reprehendit.

Epistola eius apud Gellium libro. 20. Noctium Atticarum ca. 4. recitatur, quæ vt præter ipsam elegantiam, & veterem simplicissimum iucundissimumq; scribendi morem, vtilissimam quarundam rerum doctrinam complectitur, sic merito huic loco inferendam putavi.

Ἀλέξανδρος Ἀριστοτέλει πρῶτην:  
 Οὐκ ὀρθῶς ἐποίησας ἐκδούς τοὺς ἀκροαματικὸὺς τῶν λόγων, τίνι γὰρ ἔτι διοίσομεν ἡμεῖς τῶν ἄλλων, εἰ καθ' οὓς ἐπαίδεύθημεν λόγους, οὗτοι πάντων ἔσονται κοινοί; ἐγὼ δὲ βυλοίμην ἀμταῖς πρὸς τὰ ἄριστα ἐμπαρίαις, ἢ ταῖς δυνάμεισι διαφέρειν: ἐξέσωσο.

Latine fortassis reddi poterit:

ALEXANDER ARISTOTELI

RISTOTELI BENE

agere.

Iama

Am non rectè fecisti, quod auscultatorios disciplinarum libros ædideris. Nam qua alia re præstare cæteris poterimus, si ea quæ ex te accepimus, omnium profus fiant communia: quippe ego doctrina optimarum rerû anteire malim, quàm copijs atq; opulentijs.

Rectè profectò potentissimus Imperator Alexander, sapientissimum nostrû Salomonem imitatus, omnium rerum præstantissimam iudicavit sapientiam atque doctrinam, quippe per quâ omnia alia, quæ vulgò putantur amplissima, facile acquiruntur, & in immensum excrefcunt. Sine hac autem maxima Imperia citò dilabuntur, & pereunt. Deinde supra modum admirandum, quod nec in medio armorum strepitu, & gravissimis Reipub. negotijs, nec tantarum rerum gestarum gloria (eo enim tempore armis exercituq; omnem propè Asiam tenebat, & potentissimum regem Darium victorijs vrgebat) bonarum artium, quæ plurimum ad eas res adiumenti atq; splendoris allaturæ videbantur, obliuisci poterit. Vndè perspicitur, quàm præposterum sit iudicium eorum, qui aur ge-



neris, aut fortunarum ratione optimas li-  
teras vel contemnunt, vel etiam negli-  
gunt. Sicut alibi fortasse copiosius demō-  
strabimus. Nunc quid magnus Aristote-  
les præceptor Maximo regi responde-  
rit, epistola quæ eodem loco apud Gell.  
recitatur declarat.

Αριστοτέλης βασιλεῖ Αλεξάνδρῳ  
ἐν πράττην.

Εγγραφάς μοι περὶ τῶν ἀκροαματικῶν λό-  
γων, οἰόμενθ' Δεῖν & ντοὺς φυλάττην ἐμὰ  
πορρήτοις, ἰαθι οὐ μ' ἀποτοὺς καὶ Δεδιομένους,  
καὶ μὴ ἐκδεδιομένους, ξυνετοὶ γὰρ εἰσι μὲν  
νοῖς τοῖς ἡμῶν ἀκούσασιν. ἔρρωσο.

Quam Gellius latine sic reddidit.

Ἀκροαματικῶν libros, quos editos quere-  
ris, & non perinde ut arcana abscondi-  
tos, neq; editos scito esse, neq; nō editos,  
quoniam ijs solūm, qui nos audiunt, co-  
gnobiles erunt.

Obscuritatem verò hanc quidam ve-  
hementer in Aristotele reprehendendā  
esse arbitrantur, quòd vtilissimas & pro-  
pè necessarias artes per invidiam, (ut i-  
psi loquuntur) posteris communicare no-  
luerit. Perindè esse iudicantes omninò  
nihil tradere, & ita tradere, ut intellige-  
re, &

re, & cum fructu aliquo cognoscere pauci possint. Rodolphus enim Agricola li. Inventionis Dialecticæ, cap. 3. Aristoteles, inquit, Magnus utiq; vir, & quem iure omnis miretur posteritas. Nec enim vel memoriæ viri, absoluēdis omnibus philosophiæ partibus, optimè de studijs meriti obiectum quicquam velim: vel laudi, quam tot seculorum firmavit opinio, putem quicquam detrahi posse. Sed videtur mihi dolendum esse, sedisse id animo grauissimi hominis, vt nō simpliciter atq; apertè proferret, quæcunq; inuenerat: vt præter laborem, quem ipsa esset rerum habitura obscuritas, alia etiã nobis ex ipso obijceretur difficultas, quò necesse haberemus mētem ipsius, velut Oraculi suspensam & ambiguam, indagine perquirere. Themistius enim auctor est longè aliter omnia foras esse ab illo edita, quàm sint domi tradita, demēticiq; simile esse, si quis legendis libris ipsius, speret illius se sententiam consecuturum. Sed quid Themistium dico? Ipse de se locupletissimus testis est. Scribit enim in epistola ad Alexandrum, edidisse quæ ad philosophiam pertinent: sed

perinde tamen, nisi qui ab eo audierint eadem ista, ac si edita non essent, futura: &c. Alij verò de obscuritate, quæ in Aristotelis scriptis reperitur sic loquuntur, ut eam non vicio aut reprehensioni, sed magnæ prudentiæ tribuendam esse existiment. Nam Ammonius diligens eius Interpres, Aristotelis, inquit, scribendi genus ubiq; est elocutione exactum. Fugit enim semper philosophus Rhetoricæ exornationes, solum modò explicandæ, & velut ob oculos proponendæ rerû naturæ intentus. Sæpè etiam pressum atque obscurè disertum, non ex scribentis natura, & ingenio, nam Topica, Meteorologica aliq; non pauca dilucidè explicauit: Sed data opera id egit, tum ut lectores ingeniosiores, magisq; idoneos redderet ijs quæ dicerentur compositè audiendis: tum ut inertes, segnesque in initio removeret auditores. Siquidem legitimi iustiq; auditores, quo dicta sunt obscuriora, eò magis certando euincere, ac penetrare infima connituntur. Ita obscuritate tanquam velamine usus est propter impuros prophanosq; rerum dignitatem verborum obscuritate inuoluens &c. Sicut  
Lacr-

Laert. de Heraclito Ephesio refert, quòd de Theologia librum conscripserit ex industria obscuriorem, vt soli eruditi eum legerent. Ne si vulgò passim legeretur, pestilens & contemptibilis (vt ipse loquitur) euaderet. Quemadmodum Aegyptiorum sacerdotes diuinarum, maximarumq; rerum mysteria, nequaquam omnibus promiscuè comunicauerunt. Et Graecorum philosophi, praesertim Pythagorei. rerum naturam, obscurioribus quibusdam symbolis, inuolucris & ambagibus tegere voluerunt: Sacratiora esse philosophiæ mysteria iudicantes, quàm quæ temerè proferenda essent in vulgus: Ipsi deniq; Iudæi sacrae scripturae arcana mysteria, non nisi ordinarijs Doctoribus multis de causis attingere permittebāt. quod & supra à nobis probatū est, & Rabbi Moses Aegyptius lib. 1. cap. 33. eleganter edisserit. Cùm ergò praeter veterum physicorum monumenta, *περί ἀεροῦ* & *ἀεροῦ* libri in omnium manus peruenissent, multò rectius Athenienses, auctore Strabone, de rebus naturalibus disserere potuerunt. Ea q; philosophandi ratio maximo semper apud omnes ho-



mines in honore fuit. Etsi enim Ptolemaeus rex Aegipti accerrimi ingenij philosophum, de Animorum immortalitate publicè in schola disputare vetuit, & discipulos suos in grauissima pericula, & perniciosissimas hæreses, veros artis suæ limites præteruectus, inducere videtur, tamen hoc prudentissimi regis edictum ad modestiores physicæ professores nihil pertinebat.

## DE THEOLOGIA.

**Q**uanquam Athenienses omnium Deorum superstitionis cultores semper extiterunt, vt ignotis etiam aliarum gentium Dijs sacra facerent: præcipuè tamen veteri religione & cerimonia Mineruam coluerunt. quippe cui se fortunasq; suas, atq; urbem ipso iam inde ab initio dedicassent. Ea enim dea vel ipso nomine Atheniensium se Reipublicæ familiarem esse testatur, inquit Lucianus. Neq; multò inferiores Neptuno honores exhibebant, sacris nimirum Possidonij. Quoniam Minerva & Neptunus certatim huic vrbi præesse, eamq; à se de nominare voluerunt. nec mediocre propter hanc rem inter eos certamen fuisse vetu-

vetustis simorum scriptorum monumē-  
 ta testantur. Vt ergò gratam eius memo-  
 riam apud se residere declararent, vtriq;  
 certa quædam festa, certaq; sacrificia, si-  
 cut à Maioribus suis, sapientissimis vi-  
 ris acceperant, celebrauerunt. Minerue  
 verò etiam imaginem, vt semper ob ocu-  
 los versaretur, habuerunt. Cicero enim  
 epistola ad Cornificium: Tuam, inquit,  
 causam in Senatu egi, non inuita Miner-  
 ua. Etenim eo ipso die Senatus decreue-  
 rat, vt Minerua, custos vrbis, quam tur-  
 bo deiecerat, restitueretur. Iam verò Ioui  
 hominumq; Deûmq; parenti, quantum  
 cultum tribuerint, diuersa eius numina  
 varijs cognominibus expressa declarāt.  
 eiq; dies festos, Pandia, Diasia, & Dypo-  
 lia consecrârunt. Cererem quoq;, & Pro-  
 serpinam sanctissima quadam religione  
 videntur obseruasse, nimirum beneficij  
 memores, quo à Cerere Proserpinam fi-  
 liam quærente affecti sunt, cùm ab ea se-  
 rendi frumenti incognitam antè artem  
 didicerunt. quare Thesmophoria ab E-  
 retheo rege introducta sunt, vt lib. 5. ad-  
 uersus gentes persequitur Arnobius. Re-  
 fert Eusebius li. 4. cont. Hieroclé, quòd  
 Cere

Cereris sacerdos, Magnum illum Apol-  
 lonium sacris Eleufinis initiari prohibu-  
 erit, Nefas esse affirmans, hominem ma-  
 gum, et Dæmonum consortio impurum  
 initiari. De Dionyfio autem, cæterorum  
 quæ Deorum cultu, cæremonijs & sacris  
 Athenienfium nihil in præfens attinet  
 dicere, quoniam doctiffimus ille Sigo-  
 nius ex celebrioribus antiquiffimorum  
 fcriptorum monumētis in fuos de Athe-  
 nienfium repub. libros deprompfit. qua-  
 tuordecim verò erant mulieres à regib.  
 institutæ, quæ facra fecreta Dionyfio cū  
 alia θεωγία faciebant, quæ γεγραφαί dicebā-  
 tur, vt author eft Pollux. has reginam iu-  
 re iurādo ad egiffe fcribit Demofthenes:  
 pia & pura & munda fum, à cæteris im-  
 mundicijs, & à viri congressu, & Theo-  
 gnia & Iobacchea, miniftro Dionyfio, ri-  
 tu patrio & ftatis diebus. Ex quibus per-  
 fpicitur, Ethnicorum facrorum mini-  
 ftros primò quidem continentiam polli-  
 ceri, deinde verò eum cultum, quæ à ma-  
 ioribus acceperant, inuiolatum obferua-  
 re oportuiffe. qualia de Vefte Dææ virgi-  
 nibus apud Romanos, authores comme-  
 morant. Quod fi animaduertèrent illi  
 qui,

qui Christianos per spiritus sancti confortantis gratiam continere vel non posse, vel non debere pernegant, aut etiam contra Ecclesie orthodoxe precepta, & Maiorum nostrorum doctrinam, privata authoritate, nouam religionem introducunt, longe, uti ego quidem existimo, pro sua humanitate aliter statuerent. Iso- crates enim in Arcopagitica Veteres Athenienses propterea floruisse scribit, quod Deorum immortalium religionem obseruarent, ne a patribus acceptum quicquam aut abrogarent, aut ultra con- sucta adijcerent, ipsamque non aliunde, quam sollicita eorum rituum obseruatio- ne, quos eis Maiores tradidissent, iudica- rent. Atque haec impura Atheniensium re- ligio fuit. Veram autem Theosophiam a Beato Paulo Apostolo Iesu Christi ac- ceperunt, qui Dionysium Arcopagitam ipsis Episcopum reliquit.

## DE IVRISPRVDENTIA,

LEGIBVS, ET IVDICIO

eorum ratione.

Quamquam prudentissimi Atheni- ensium Reges, ad perpetuam eius salutem, conseruationemque sociorum, varia



varia iudiciorum fora introduxerunt, Areopagum Pritanium, Palladium, Delphinium, Phreatium, Trigonium, Parabistum, Heliæam, quod Pausanias omnium maximam fuisse refert &c. tamen Draco diuini humaniq; iuris peritissimus, primus omnium Atheniensibus leges tulit, quibus Rempub. constringeret. Quæ tamen propter nimiam acerbilitatem (nam non atramento sed sanguine eas conscripsisse vulgò dicebatur) quia leuioribus etiam peccatis capitalem poenam ascripserat, haud diu durare poterunt, sed non decreto, iussuq; , at tacito, illiteratoq; consensu, propter eas, quæ de homicidio erant, auctore Aeliano, oblitteratæ sunt. Et Solon Tarquinio Prisco Romæ regante, mitioribus legibus, omnes Reipub. partes ita mitigauit, ut in perpetuum, si obtemperassent, rectè consistere potuissent. Quas quidem ipsi tanto in honore habuerunt, ut axibus ligneis magnis descriptas literis publicè omnibus legendas proponerent: utq; in sempiternum durarent, poenis grauioribus sancirent: sicuti partim Gellius libro 2. ca. 12. partim Lucianus in Anachirsi scriptum reli-

reliquerunt. Ex quibus Ius ciuile Roma  
 norum profluxisse videtur, §. & non ine  
 leganter. Instit. de Iure natur. Gent. &  
 & Ciuili L. 2. ff. de orig. Iuris cap. 2. dist.  
 7. Cum ergò Solon Remp. sat multis le  
 gibus stabiliuisset: eas tamen, si vsus po  
 stularet, corrigi, & abrogari posse voluit,  
 si meliores, commodioresq; in earũ lo  
 cum introducerentur. Sed veterum ab  
 rogandarum, nouarumq; instituenda  
 rum Ius non vniuersæ concioni, sed me  
 liori populi parti tributum est: qui *νομο  
 κλάται* appellabatur, quod leges ipsæ So  
 lonis, quæ in Demosthenis & Aeschinis  
 orationibus recitantur, ostendunt. Qui  
 verò aut leges suaderent, aut latis legib.  
 patrocinauerent, *συνδικταί*, qui in Senatu  
 & concione causam publicam defende  
 rēt, *πρωτοκλάται* instituit. Mercedis loco, quo  
 ties eo nomine dicerēt, drachmam acce  
 pturos: quem admodum in vesparum cõ  
 mentario scriptum reperitur: & ex ipsius  
 Solonis lege, quæ est in accusatione Ti  
 marchi,prehenditur. Areopagitas ve  
 rò, qui à regibus rerum solummodò ca  
 pitalium cognitionem acceperāt, Solon  
 rerum omnium speculatores, & legum  
 custo

custodes instituit, authore Plutarch. Ipsi enim inter omnes iudices & autoritate & gloria præstiterunt, vsq; adeo vt Areopagitam pro Cōstanti senatore, & integerrimo iudice M. Tullius ad Atticum scribens vsurpârit: & Aristides, cū in Parnathenaica priscam Atheniensium disciplinam commendaret, omnium super se laudis excellēciam dixerit. Quare tanta ab omnibus ciuibus habita reuerentia est, vt in conspectu eorū ridere, nefas existimarent, sicut ex Aeschinis orat. deprehenditur. Nemo enim in eum ordinem admitteretur, nisi honestè natus, virtute & modestia spectatissimus, vt Isocrat. in Areopagitica sua fatetur. Habuerūt præterea Athenienses leges quasdam aduersus exules promulgatas, quas cū Demopolis, & Neocles Themistoclis filij in usum reuocare conarentur, populūq; Atheniensem docere, à paternis inimicis lapidib. obruti sunt. vt scribit Rhodog. li. 14. ca. 12. Sed cū Atheniensium respub. in hostium potestatem venisset, & Triginta Lacedæmoniorum Tyranni pro sua libidine, conculcatis optimis legibus, Athenienses opprimerēt, Trasylbulus quidam, The

dam Thebanorum auxilio urbem recuperavit, eiectisq; Tyrannis, veteres Solonis leges Atheniensibus suis restituit.

### MEDICINA.

Quamquam apud Athenienses in omni disciplinarum genere claris. philosophi extiterunt: tamen Aristophanes paucos ibi Medicos fuisse probat, quod nulla ipsis essent premia. Sic enim eius Plutus loquitur. *εὐτε γούρ ὁ μισθὸς οὐδ' ἐπέσ' οὐδ' ἄτεχνῆ. i.* Neque premium vllum est, ars nec ipsa item viget. Nam, Sint Mæcenas, inquit Martialis, non deerunt, Flacce, Marones, Vergiliumq; tibi, vel tua rura dabunt.

### POESIS.

Quia præ cæteris Græcis Athenienses in Poetas benigni, & liberales erant, plurimi apud eos celebriores poetæ extitisse creduntur. Nam Chærilus quia eorum res gestas contra Xerxem scripserat, singulorum versuum, singulos stateros aureos accepit. Quem tamen Horatius incultis, & malè natis versibus scripsisse fatetur. Vt mirer quod Iuuenalis satyra 7. ipsos reprehendat, quasi in Poetas a-



ras auari fuerint.

Pœnituit multos vanę sterilisq; cathedrę  
Sicut Trasimachi probat exitus, atque

Secundi

Carinatis, & hunc inopẽ vidistis Athenę  
Nil præter gelidas aufæ conferre cicutas.

Nisi hoc de asperis & strictis poetis in-  
telligendum, quibus nunquam Atheni-  
enses magis delectatos fuisse, quàm præ-  
sens, asperis vinis scribit Athenæus. Hip-  
parchus verò Pisistrati Tyranni filius om-  
nium eo tempore Atheniensium sapi-  
entissimus, vt Tyrannidis inuidiam la-  
pientię opinione extingueret, bonas li-  
teras, & literatos viros diligenter coluit,  
& Homerum, Græcorum poëtarum fa-  
cilè principem, primus in ordinem rede-

Aelian. li-  
bro 8. cap.  
2. varię hi-  
storię.

git, & Athenas importauit: vt ex Aelia-  
no refert Volaterranus, lib. 16. Cuius in-  
genium & eruditionem admirati, omni-  
um scholarum Iuvenes discere voluerunt.  
Nam quanto perẽ necessaria sit diligens  
Homeri lectio, Fabius Quintilianus li-  
10. Institu. cap. 1. eleganter demonstrat.  
Vt Aratus, inquit, à Ioue incipiendum  
putat: Nos ita ritè ab Homero cœpturi  
videmur. Hic enim (quemadmodum ex  
Ocea-

Oceano dicit ipse animum vim, fontium-  
 que cursus initium capere) omnibus e-  
 loquentiæ partibus exemplum & ortum  
 dedit. Hunc nemo in magnis rebus sub-  
 limitate, in parvis proprietate superauit.  
 Idem lætus ac pressus, iucundus & gra-  
 vis, tum copia, tum breuitate mirabilis.  
 Neq; Poëtica modò: sed oratoria virtu-  
 te eminentissimus. Nãq; vt de laudibus,  
 exhortationibus, consolationibusq; ta-  
 ceam: nonne vel nonus liber, quo missa  
 ad Achillem legatio continetur, vel in  
 primo inter duces illa contentio, vel di-  
 ctæ in secundo sententiæ, omnes litium  
 ac consiliorum explicant artes? Affectus  
 quidem vel illos mites, vel hos concita-  
 tos, nemo erit tam indoctus, qui non in  
 sua potestate hũc authorem habuisse fa-  
 teatur. Age verò nonne in sui vtriusq;  
 operis ingressu, paucissimis versibus le-  
 gem proæmiorum nõ dico seruauit, sed  
 constituit? Nam & beneuolum audito-  
 rem inuocatione Dearum, quas præside  
 re Vatibus creditum est, & intetum pro  
 posita rerum magnitudine, & docilem  
 summa celeriter comprehensa facit. Iam  
 similitudines, amplificationes, digressis  
 ones,

ones, exempla, signa rerum, & argumēta, cæteraq; probandi & refutandi, sunt tam multa, vt etiam qui de artibus scripserunt, plurima earum rerum testimonia ab hoc Poeta petant. Nam & Epilogus quidem quis vnquã poterit illis rogantis Achillem Priami precibus æquare? Quid? in verbis, sententijs, figuris, dispositione totius operis, nonne humani ingenij modum excessit? Vt magni sit viri, virtutes eius nõ æmulatione, (quod fieri non potest) sed intellectu sequi. Vt rùm hic omnes sine dubio, & in omni genere eloquētiæ procul à se reliquit. Et hunc quoties de reliquis loquendũ, vt Achillem semper excipi par est. Quare Alcibiades ludum literarium aliquando ingressus, petijt à Ludimagistro Homerũ, qui cùm se nihil Homeri habere affirmaret, acriter eum verberauit: Indoctus, inquit, magister es, tibi similes discipulos reddes, vt scribit Aelianus lib. 13. cap. 38. Et Plato philosophorum deus, primò omnium ad poësim animũ adiecit, & heroica carmina cœpit condere: quæ tamen vbi longè inferiora Homeri versibus deprehenderet, aboleuit: deinde ad Trage

Tragædias scribendas conuersus, cū Socratem semel audisset, ad philosophiam transgressus est. Verùm Astydamas Tragicus primus ex discipulis Socratis ad poeticam se contulit, docuitq; Athenis tragædias 42. & Astydamum filium poetam reliquit, cuius Tragædias commemorat Suidas. Hos paulatim, vt fit, pluri mi imitabantur, & poesis in immensum excreuit, quam Horatius Flaccus Venusinus poeta, ibi perfectè didicit. Scribit enim ad Iulium Florum libro epist. 2.

Adicere bonæ paulò plus artis Athenæ,  
Scilicet vt possè curuo dinoscere rectū,  
Atq; inter syluas academi querere verū.  
pura sed amouere loco me tēpora grato,  
Ciuisisq; rudē belli, tulit æstus in arma.  
quare eorum in carmine foelicitatem,  
dexteritatemq; descripturus, sic de ipsis in arte loquitur.

Vos exemplaria Græca

Nocturna versate manu, versate diurna

Item.

Græcis ingeniū, græcis dedit ore rotundo  
Musa loqui.

Sed cūm Tragædiæ & Comædiæ populo, siue voluptatis, siue eruditiois gratia



tia exhiberi cœpissent, pueros quoque suos in theatrum collectum perducebant. ut priscorum virorum virtutes, & vicia spectarent, atq; ab his auersi, feruenti studio, ad illas amplectendas incitarentur.

## DE MATHESI, ET PRAE-

SERTIM DE MUSICA.

**B**onarum artium Athenis professoris ad mathematicas disciplinas assuefacere solebant. Vndè peruagatum illud Platonis de sua Academia verbum: Nemo huc ingrediatur Mathesios imperitus. Et Xenocrates ad eum qui ludum suum frequentare cupiebat, nec Geometriae nec Musicae peritus erat, abi inquit, quia anfas philosophiae nondum attigisti. Quapropter Aristoteles tam frequenter passim mathematica exempla usurpat, quae apertiora esse arbitratur ob familiarem rerum mathematicarum usum, qui eo tempore erat Athenis. Musicae verò & choris tanto studio incumbabant Athenienses, ut varij choragi instituerentur, qui eius artis rationem haberent, quod Lysias in orat. de muneribus Atheno

Atheniensium demonstrat. Qui & victu  
 delicatorem pueris suppeditabant, ad  
 voces corroborandas, sicut Plutarchus  
 refert: & coronas præterea aureas, vestes-  
 que, chori ornamenta atq; insignia com-  
 parabant. Ludu quoq; instituere, in quo  
 per Magistrum ( quem χοροδιδάσκα-  
 λον appellabant ) chorum ipsum institu-  
 endum, exercendumq; curarent. Qui-  
 dam etiam pueris solum tradebant Cho-  
 ragi, qui ludorum literariorum, quo pue-  
 ri ingenui ventitabant, cura habebant.  
 Quos etiam ut quam optime eos institu-  
 erent, integerrimeq; cum ipsis versaren-  
 tur, quadraginta annorum esse oportebat,  
 ut Aeschenes in oratione contra Timarchum  
 probat. Qui vero in Dionysiis & Panathenæis  
 psallendo & cantando reliquos superasset,  
 tripodem præmi-  
 um ferebat, eumq; cum magna cæremonia  
 dedicabat, ut Demosthenes aliquoties  
 meminit. Unde etiam ille mos intro-  
 ductus est, ut in conuiujs post cœnam,  
 circumferretur lyra, cuius cum se impe-  
 ritum Themistocles confessus esset, ha-  
 bitus est indoctior. ut refert Cicero libro  
 primo Tusculanarum quæstionum, &

Fabius Quintilianus lib. I. oratoriarum  
Institutionum cap. 17.

GENERALIS QVAEDAM

RATIO INSTITVENDAE IUVEN-

uentutis, quam Athenienses promiscuè in  
omnibus gymnasijs obseruasse ui-  
dentur.

**I**Socrates in Areopagitica, Athenien-  
ses cum omnes ciues: tum verò adoles-  
centes in primis curasse scribit. Videbāt  
enim eam ætatem turbulentissimis affe-  
ctibus agitari, maximeq; necessarium ef-  
se, sic institui, vt honestis studijs delecta-  
ri assuesceret. Qua autem ratione eos  
instituerint, refert ipse Solon apud Luci-  
anum Samosatensem in dialogo, qui &  
ὁ Χάρις, ἢ περὶ γυμνασίου inscribit. Puer-  
rorum, inquit, educationem primò qui-  
dem matribus, nutricibus, atq; pædago-  
gis formandam permittimus, vt discipli-  
nis liberalibus eosdem imbuant. cæterū  
vbi honestatem sapere per ætatem cœpe-  
rint, ac vnà cum illis verecundia, pudor,  
& metus rerumq; præstantissimarum cō-  
cupiscentia enata fuerit, ipsaq; corpora  
laboris patientia, membrorum robore  
solidiora, ac iustis viribus consistentia,  
tunc

tunc illos assumptos docemus, alijs quidem animi disciplinis propositis. Aliter etiam erga labores perferēdos ipsorum corpora assuefacientes. Neq; enim satis existimamus, vt quisq; natus est, quantū ad corpus & animū excolendum attrinet, sed præceptionib. quoq;, & disciplinis ad eos rectē instituendos, nobis opus est. Hac enim sedulitate & Iuuenū industria alitur, atq; augetur: animi verò & corporis vitia emēdantur. Cuius rei exemplū ab agricolis sumimus, qui quamdiu plantæ adhuc sunt humiles & teneræ, eas cōtegunt fulciuntq;, ne venti violentia accepto detrimento perfringantur: vbi verò iam iustum robur collegerint, tunc inutiles ac superfluos ramos amputant, easque dum ventorum arbitrio agitandas permittunt, fructuosiores efficiunt. Sic mentem Iuuenum primū Musica, & Arithmetica excolimus, ac literarum formas pingere, easdemq; excellēter pronūciare docemus: deinde ætatis progressu adultioribus, sapientum virorum sententias, res olim fortiter gestas à Maioribus, tum orationes quoq; vtilis versibus exornatas, quò tenacius fideliusque me-



moria teneant, illorum auribus frequen-  
 ter accinimus. Illi autem auditis fortium  
 virorum virtutibus, & rebus memorabi-  
 libus, ista paulatim desiderare incipiunt,  
 ac demum ad imitationem accendunt,  
 ut & ipsi celebrentur aliquando, & in cœ-  
 lum laudibus ferantur à posteris &c. que  
 in eo dialogo pulcherrimè disputantur.  
 Haud mirum ergo si omnium Græcorum  
 sapientissimi Athenienses fuisse prædi-  
 centur, qui tam diligenter & populum,  
 & iuventutem instituerunt. Nam omnes  
 promiscuè bonas literas didicisse viden-  
 tur. Cùm enim duce Nicia aduersus Si-  
 culos parùm foeliciter pugnassent, per-  
 multis occisis, plerisque captiuis in Sicilia  
 abductis, captiui omnes Siculorum filios  
 literas docere coacti sunt. authore Zeno  
 doto: vndè ortum prouerbum est. ἡ τέ-  
 ρνη κερὶ ἢ διδασκεὶ γράμματα, aut mortu-  
 us est, aut docet literas. Et apud Xeno-  
 phontem quidam vir eruditus, Atheniē-  
 ses à ciuili bello ad pacem, & concordia  
 reuocaturus. Nonne omnes eiusdem, in-  
 quit, patriæ sumus alumni? nonne eisdē  
 templis, sacrisq; initiati? Nonne in eisdē  
 scholis atq; gymnasijs omnes eruditi fu-  
 mus?

Athenien-  
 ses quare  
 Græcorum  
 sapientif-  
 simi.

mus: vnde ergò hæc odia sunt exorta, cū odiorum nulla causa sit, multæ autē charitatis. Præterea Nazianzenus in epistola ad Eudoxium, quæ inter Basilij magni epistolas 117. est, erat, inquit, Athenis lex vetus, & vt ego quidem sentio, optima, vt iuuenes postquam ad pubertatem peruenissent, ad artes discendas perducerentur, ad quas nimirum natura ferebantur.

## DE ATHENIENSIVM

STVLTIA CONSULTA-

tione.

**C**VM ergò Athenis tot grauissimi philosophi, clarissimiq; Oratores semper extiterint, qui eos tam bonarum artium doctrinâ, quàm optimis exemplis erudire possent: sæpe miratus sum quomodo fieri potuerit, vt in tanta sapientiæ, optimarumq; rerum abundantia, malæ consultationis accusarentur, & inconsulta eorum temeritas in prouerbium abiret. Aristophanes enim de Atheniensibus loquens, inquit:

φασὶ γὰρ δισβυλίαν τῷ δὲ πόλει προσεῖναι.

Leua consilia ferunt huic adesse ciuitati.

tati. Et populi Athenienses robur demosthenes ipsis exprobat, quòd alij homines consultare prius, deindè rem aggredi soleant: Athenienses verò post rem factam consultare. Poetæ vicium hoc, dū negare non possunt, excusaturi, in Neptunum reijciunt, quasi is à Minerua viduus, cū ea regione potiri non posset, iratus δὲ νοβουλίας immiserit: atq; hoc deinceps Atheniensibus ἐπιχῶριον, siue verbaculum permanserit. Idq; Mineruam patronam nō mutasse, sed quod ipsi male statuerent, in bonos semper euentus vertisse aiunt. Vnde illud Aristophanis: Est sermo quidam ductus à Maioribus, Fatua licet statuamus ac vecordia, In melius attamen omnia nobis cedere.

Ego, quantum conijcere licet, huius rei causam fuisse arbitror, quòd neq; Senatum ex optimis, prudentissimisq; civibus elegerint, vt de Lacedæmoniorum Reipub. in politicis scribit Aristoteles: neq; philosophos & prudentes viros in consilium adhibuerint. Hoc enim mihi indicare videtur Eupolis apud Athenæum.

Quos antehac nemo præfici conuiuio  
Quisquam

Quisquam tulisset, nunc videmus scilicet

Belli duces, ô ciuitas, ô ciuitas,  
Fortuna vt es foeliciore, quàm sapis.

Isocrates etiam in oratione de pace fatetur, Athenienses ab eorum consilio p̄dere solitos, quos omnes sapientes aspernabantur, illisq; ciuitatem tradere, quibus nemo priuatim quicquam credere aude-  
ret. Et M. Cicero in oratione pro Flacco, vniuersam Græciam hoc potissimū malo concidisse scribit, quòd imperitos & seditiosos homines Reipub. præficerent, optimè meritos ciues eijcerent. Euripides quoq; de Atheniensibus dixisse videtur: Stultorum opus est hominum, vbi aliqui non sapientibus ciuibus tradunt potestatem. Pulchrum est illud Aristhenis apud Laertium libro 6. Cùm enim Athenienses admoneret, vt asinos non minus ad agriculturam eligerent, quàm equos, illi verò animal ad arandū ineptum esse responderent, quid refert, inquit, quia in vestra Reipub. duces sunt, qui nunquam didicerūt administrandi rationem, sed satis est, quòd à vobis eligantur. Haud mirum ergò si praua consilia



filia ceperint. Nam improbissimos ciues, fidelissimos reipub. custodes esse arbitrabantur, qui aut per imperitiã stultita, aut per odium & inuidiam reipub. perniciofa consulebant. Malum enim ingenium magnam potestatem adeptũ, maximum est ciuitati malum. Sunt qui maximã ipsorum leuitati tribuant. Nam Iſocrates, Ea, inquit, temeritate sumus, vt eisdem de rebus, eodem die, non eadem decernamus: quæ domo egressi dãnabamus ea ipsa in concione probemus, & domum regressi quæ hic decreta sunt cauillemur. Et Lucas Apostolus Iesu Christi actuum Apostolorum cap. 17. Ad nihil, inquit, vacabant aliud Athenienses, quã audiendum & dicendum aliquid noui. Quare præstantissimi Oratores, leues & nouitatis studiosissimos homines, in quamcunq; sententiam permouere poterunt. sicut Iuuenalis satyra 10. de Demosthene scribit.

Quem mirabantur Athenæ  
Torrentem, & pleni moderantem  
fræna theatri.

Et propterea, vt mihi quidem videtur,  
potentissimus Macedonum rex Philip-  
pus tunc

pus tunc demum se cum Atheniensibus  
in gratiam rediturum aiebat, si prius de-  
cem oratores, quos ipse vellet, darentur:  
ut refert Vincentius lib. 4. speculi cap.  
91. Intelligebat enim Athenienses pro-  
corum voluntate aut amicos, aut inimi-  
cos fore. Demosthenes autem, quia verus  
Orator, hoc est, vir bonus, & Reipub. stu-  
diosus erat, diligenter eos commoneface-  
re solebat, ne facile crederent. Per multa  
quidem, inquit, sunt civitatibus excogi-  
tata ad salutem, quæ manibus hominum  
fiunt, & sumptus ingentes postulant: in-  
est autem vnum commune munimen-  
tum in animis hominum à natura, nimi-  
rum, non facile credere: vel, si vno ver-  
bo dicere licet, diffidentia. Hanc Atheni-  
enses amplectimini, hanc si habetis, ni-  
hil vobis eueniet mali. Quod saluberrimum  
prudentissimi viri consilium tan-  
tò diligentius hoc tempore plerisque re-  
bus pub. obseruandum erit: quanto plu-  
res ipsis insidiantur, quantoq; nunc ho-  
minum improbitas maior est, qui insolè-  
tiaz & furoris, vbi aliquam auctoritatem  
sibi peperisse videntur, nec rationem nõ  
runt ullam, nec modum adhibere. Tantaq;  
vulgi

vulgi inconstantia, vt si quis non religionem solum (quanquam eius corruptio omnium optimarum rerum perturbationem secum afferre solet) verumetiam leges ciuiles, & viuendi rationem prorsus euertere velit, secundo id populo possit facere. Cauendum nimirum est, ne Magistratus ignotis & nouis hominibus facile credat: vel etiam citra rationem & delictum in ciuitatem ascribat. Nam vtriusque nobilissimas potentissimas, florentissimasque respub. euertisse lib. 5. politicorum probat Aristoteles. Quod cum prudentiores athenienses, etsi seruius quam reipub. salus postulabat: tamen aliquando tandem intelligere inciperent, effrenatam Oratorum licentiam in ordinem redigere, & ad clepsydram, aquam uene, ne affectibus mouedis operam dare possent, dicere voluerunt. Videbant enim per eloquentiae vires poenis eripi sceleratos, fraude interim damnari bonos, consilia duci in peius. Nec seditiones modo, turbasque populares: sed inexpiablem etiam bella excitari, reipub. turbari sepe, atque euertere. Eloquentia enim sine probitate, & sapientia, auctore Cicerone, obest.

obest plerumq; ciuitatibus, prodest nunquam. Quare Chilo, vnus è septem sapientibus Græciæ, optimam pronuncibat rempub. esse, quæ leges: minimè autem rhetores audiret. Si qui verò in Senatu Atheniensi viri boni erant, illi priuato cõmodo nimis dediti, rempub. (quam in primis curare debuissent) neglexisse videntur. Intolerabilis enim Atheniensũ auaricia apud plerosq; scriptores in pro-  
 uerbiũ abijt: Atticus vel moriens manum porrigit. Quemadmodum sacrum Romanum Imperium per latens odiũ, & proprium commodum, haud parum detrimenti accepisse legitur. Neq; praua Atheniensium consilia excusare, refutareue potest, quòd ipsi potentia, imperio, & autoritate præ cæteris Græcię ciuitatibus floruisse leguntur. Id enim non eorum prudentia, sed hostium ignauia, & nihilo prudentioribus consilijs euenisse Demolthenes & Isocrates apertè fatentur. Aut etiam optimorum philosophorum industria, qui se tum Regibus & Magistratui sponte coniungere voluerunt: Ne cum ipsa repub. bonæ etiam literæ interirent.

Rhodog.  
 lib. 18. le-  
 tionũ an-  
 tiquarum  
 cap. 25.

O Quam



DE ACADEMIIS  
 QVAM HONESTVM O-  
 LIM FVERIT ATHENIS

*studuisse.*

**Q**Voniam ergò Nobilissima Athe-  
 nensium Vniuersitas, bonarum  
 artium inuêtrix, philosophorum, Orato-  
 rumq; & Poetarum mater & parens, De-  
 orum verò immortalium alumna, locus  
 doctrinarum fertilissimus à veterib. præ-  
 dicatur: honestissimum quoque erat A-  
 thenis, vbi in omni doctrinarum genere  
 clarissimi professores florebant, studuis-  
 se. vt M. Cicero lib. i. Officiorum perspi-  
 cè satis demonstrat. Quanquam te M.  
 filii, annum iam audientem Cratippum,  
 idq; Athenis, abundare oportet præce-  
 ptis, institutisq; philosophiæ propter su-  
 mam & doctoris autoritatem & vrbis.  
 Et lib. 3. Suscepisti onus graue & Athena-  
 rum, & Cratippi, ad quos cum tanquam  
 ad mercaturam bonarum artium sis pro-  
 sectus: inanem redire turpissimum est,  
 dedecorantem & vrbis autoritatem, &  
 magistri. Qualem verò se ibi gesserit, in-  
 dicat C. Trebonius in epistola qua  
 dam ad ipsum Ciceronem  
 quæ sic habet.

C. Tre

C. TREBONIUS CICE-

RONI S. P. D.

Si vales bene est: Ego quidem valeo. Athenas veni ad II. Calend. Iun. atq; ibi, quod maximè oprabam, vidi filium tuū deditum optimis studijs, summaq; modestiæ fama. Qua ex re quantam voluptatem ceperim, scire potes etiam me tacente. Non enim nescis, quanti te faciã, & quam pro nostro veterrimo, verissimòq; amore omnibus tuis etiam minimis commodis, non modò tanto bono gaudeã. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare. Nihil adolescente tuo aut amabilius ijs omnibus qui Athenis sunt, est, aut studiosius earum artiū, quas tu maximè amas, hoc est, optimarum. Ita que tibi, quod verè facere possum, libenter quoq; gratulor, nec minus etiam nobis, quòd eum, quem necesse erat diligere, qualiscunq; esset, talem habemus, vt libenter quoq; diligamus. Nos illum paratum, & pleno ingressum gradu, cohortari non intermittemus, quòd indies longius discendo, exercendoq; se procedat. &c. Democritus ergò, vt scribit Demetrius Phalereus, Athenas venire noluit:

luit: ne ex loco gloriam, qua abundabat, accepisse videretur. Ipse autem Cicero auctoritatem, vt videtur, & gloriam paraturus, Athenis philosophiam profiteri cupiuit. Si ipse, inquit lib. 3. Officiorum, Athenas venissem, quod quidem esset factum nisi me è medio cursu clara voce patriareuocasset, aliquandò me quoque audires. Lucianus autem in dialogo de laudibus Demosthenis, haud inter postremas eius foelicitates refert, quod Athenis natus, & institutus esset. quoniam nemo apud veteres perfectus philosophus, & summus Orator habebatur, qui Athenis non studuerat. Quapropter nobilissimi quiq; Romani, ad capiendum ingenij cultum Athenas ferè proficiscebantur, vt testatur Aulus Gellius noctiũ atticarum lib. 1. cap. 2. Et Horatius Flaccus lib. 2. epistola ad Iulium Florum, perfectum se Athenis Poetam euasisse gloriatur, vti superius quoq; est à nobis recitatum. Et mater D. Clementis Apostoli, Athenas Roma proficisci voluit, vbi ipsa quidè sine periculo viuere posset: filij verò bonas literas docerentur, vt refert ipse Clemens libro 7. recognit. Ne dicam

dicam, quòd ex remotissimis orbis terra-  
rum partibus, Athenas bonorum studio-  
rum gratia certatim conuolârint: sicuti  
de Anacharsi Scyta Lucianus, & Laër-  
tius prodiderunt. Apertissimè autè Pau-  
la & Eustochium apud Beatum Hie-  
ronymum, Marcellæ vt in Bethlehem,  
locum excolendæ pietati aptissimum, se-  
cè conferret, persuasuræ: Præclarus, in-  
quiunt Orator quendam reprehenden-  
dum putat, quòd Græcas literas non A-  
thenis, sed alibi didicerat. Cùm enim ma-  
xima ibi studiorum commoditas esset, si-  
delissimiq; Doctores, doctissimi ferè vi-  
ri ex ea redierût. Inter cæteros enim M.  
Tullius Athenis eruditus est, cùmq; ibi a-  
liquandò ex more declamaret, Porsido-  
nius exclamasse legitur, videre se, solam  
Græcis relictam dicendi gloriam, per i-  
plum ad Latinos transferri. Pomponius  
quoq; Atticus intimus Ciceronis ami-  
cus cùm omnium propè artium funda-  
menta haud infœliciter iecisset, Athenas  
perfectam sciëntiam relaturus profectus  
est vt in vita eius refert Cornelius Ne-  
pos. Quare tam frequens, tam honorifi-  
ca athenarum mentio apud Ciceronem



Volater.  
lib. 14.

Platina.

in epistolis, quæ ad Atticum sunt, reperitur. Basilus quoq; & Nazianzenus Theologus ibi philosophiæ & eloquentiæ doctrinam hausere. Ioannes etiam Papa Octavius in bonis artibus & Theologia tantum progressum fecisse dicitur, ut cum Romam rediret, æquales paucos: superiorem haberet neminem.

## DE BIBLIOTHECA

ATHENIENSI.

Volater.  
lib. 18.

Laertius.

**P**isistratus Tyrannus ingenuarum partium libros primus publicè ad legendum proposuisse dicitur. quam eius industriam ipsi Athenienses studiosius accuratiusq; auxerunt. Sed omnem lectissimorum librorum suppellectilem, Xerxes Athenarum potitus, vrbe ipsa præter arcem incensa, asportavit in Persiam. Quos tamen humanior rex Seleucius. siue Nicanor post multa tempora Athenas referendos curavit, ut scribit Aulus Gellius lib. 6. ca. ultimo. Plato verò quam tenui admodum pecunia familiaris erat: tamen tres libros philolai pythagorei decem millibus denariorum, quos Dionysius Syracusanorum Tyrannus ipsi donarat, mercatus est quemadmodum Timon

Timon amarulentus in eo libro, qui  $\sigma\lambda$  Gellius li  
 inscribitur, ipsi contumeliosè obie bro 3. c. 17  
 sit. Primus quoq; Sophronis mimogra Laert. li. 3.  
 phi libros Athenas intulit, qui & sub eius Valer. lib.  
 capite reperti fuisse credunt. Cuius disci 8. cap. 7.  
 pulus Aristoteles, ordinem digerendi li  
 bros quos à Maioribus acceperant, & in  
 stuendæ bibliothecæ rationem intro- Gellius li.  
 duxit. Atq; in eâ egregia quædam Pseu- 3. cap. 17.  
 sippi volumina emit Atticis talentis tri-  
 bus: quam ipse iam instructam satis The li. 13. geo.  
 ophrasto reliquit. Theophrastus verò eâ  
 tradidit Neleo. Neleus autem Scepsin  
 detulit, inquit Strabo, ac posteris reliquit  
 hominibus imperitis, qui libros inclu-  
 sos & negligenter positos tenebant. Cũ  
 que Attallicorum regum studium in cõ-  
 quirendis libris, in eam bibliothecâ quæ  
 Pergami erat, perspicerent, in fossa qua-  
 dam occuluerunt. quos à tineis, & hu-  
 more corruptos, Apeliconi Teio tradide-  
 runt, magno emptos argento, Aristoteli-  
 cos videlicet & Theophrasticos. Apeli-  
 con autem, quòd librorum studiosior es-  
 set, quàm sapientiæ, volens corrosiones  
 emendare, eos transcribendos dedit, scri-  
 ptura non rectè suppleta, quapropter li-  
 bro

bros edidit erroribus plenos. Quare an-  
 tiqui peripatetici post Theophrastum,  
 cùm omninò libris ordinarijs carerent,  
 paucis duntaxat exceptis externorũ ser-  
 monum, nihil habebant, in quo firmi-  
 ter philosopharentur, sed positiões quas  
 dcm lucubrabant. posteriores verò, post  
 quam hi libri in lucem venêre, Aristote-  
 lem imitantes, longè melius quàm illi  
 priores philosophati sunt. Nam propter  
 errorum multitudinem consentanea di-  
 cere necesse habuerunt. Hactenus Stra-  
 bo. Adrianus verò Romanorum doctis-  
 simus Imperator anno Domini 137. ve-  
 terem hanc Atheniensium bibliothecã  
 restituit, & mirabilem ipse construxit. no-  
 uam; vti post Eusebij & Adonis Chroni-  
 ca apud Platinam videre est in vita Ale-  
 xandri Pp. 1. Quam non ipsi Athenien-  
 ses, solùm: sed & *ἄλλοι* quoq;, & barbari  
 homines propter elegantiam honoraue-  
 runt. Scribit enim Iohannes Baptista Eg-  
 natius in vita Claudij Imperatoris, quòd  
 cùm Gothi eandem crudelitatem, & be-  
 luinum prorsus furorem, quem in sacra-  
 tissima Diuorum templa exercuerant,  
 in bibliothecam quoq; hanc exercere co-  
 narent

Politianò  
 quoq; cen-  
 turia 1.  
 miscela.  
 Volater.  
 lib. 13.

narentur, quidam eos ad mentem reuocant: persuadentes ipsis, omninò à Musis abstinendum, & bonis literis parcendum esse, quibus dum Græci diligētius incumberent minus ad bella idonei redderētur. Cùm ergò instructissima isthæc Atheniēsium bibliotheca à summis philosophis, inuictissimisq; Romanorum Imperatoribus & Reuerendissimis Archiepiscopis tam splendidè tam diligenter instituta & conseruata fuerit, dolendum profectò, dolendum vehementer est, quòd quam crudeles Gothi conseruare voluerant, eam celeratissimi Turcæ funditus euerterint: vt præstantissimorum in omni doctrinarum genere scriptorum libri perijissent, nisi à bonis viris subtracti & priuatim conseruati essent. Quos Pontifices Romani vt Ecclesiæ Christianæ, & bonarum artium studijs pro sua pietate consularent, per doctissimos viros diligentissime conquisitos, maximis sumptibus in suam bibliothecam coemerunt.



libro 9.

Plutar. In  
Apopthe.  
Ro.

**G**loriosissimi Romanorum Imperatores, Athenienses propter bonorum artium studia, magno semper in honore habuerunt, ut author est Strabo. nã Adrianus Imperator doctissimus pecunias multas, frumentum annuum, & vniuersam cephaleniam largitus est, ut scribit Dion Cassius Niceus, Eorumq; studia vehemẽter auxit, sicut author est Sextus Aurelius Victor. Augustus Cæsar etsi propter grauissima quædam delicta mirificè in eos animaduersurus credebatur: tamen ob incredibilem in illos amorem hortatus solummodò est, ut resipiscerent. Demetrius quoq; rex etsi Athenas propter defectionem merito multare potuisset: tamen in summa rei frumentariæ inopia frumentum ipsis largitus est, & cum barbarè aliquid concionaturus loqueretur quod Atheniensium aliquis fortè emendabat, eius quoq; emendationis gratia multò adhuc plura donauit, ut refert Philelphus epistola quadã ad Laurentium Medicum. Ut vehementer mirum sit, quòd hoc tempore plurimi, grauitè à vero aberrare, & in turpi

igno

ignoratione versari, quàm ab amicis ciuili-  
liter admoneri: Aut etiam perniciosis a-  
dulatoribus, quàm veris præceptoribus  
& amicis, obtemperare in rebus grauif-  
simis malint. Sed Seuerus Imperator  
quia iniurias quasdam pertulerat, cū stu-  
diorum gratia Athenis degeret: Idcirco  
minuendo eorum priuilegia, postquam  
Imperator creatus erat, sese vltus est, vt  
scribit Aelius Spartianus in vita Seueri.  
Sic olim Athenis in omni doctrinarum  
genere summi philosophi, perfecti Ora-  
tores, & clarissimi poetæ floruerunt: ve-  
rùm nunc omnis eorum gloria, cū gym-  
nasijs & bibliotheca à crudeliss. Turcis  
oppressa est. Theophrastus enim Aeneæ  
Gazæ, in dialogo de immortalitate ani-  
morum, Philosophia, inquit, Athenis o-  
lim illustris fuit: iam prorsus obscurata,  
atq; in nihilum redacta est.

## LACEDAEMONIORVM

## ACADEMIA.

Quamquam veteres Lacedæmonij  
ingenuarum artium doctrinã ita  
neglexerunt, vt Isocrates in panathenai-  
co nec literas eos discere, nec bonorum Aelian.  
authorum scripta vel leuiter attingere quoq;  
multum

li. 12. ca. 50  
Athenicus  
li. 13 ca. 34

Valer. lib.  
8. cap. 7.

multum curasse scribat, quippe quorum  
studium erat rectè viuere, Magistratui  
parere, in prælio aut vincere aut honestè  
mori, authore Plutarcho: paulatim ta-  
men, vt literarum præsidio ea ipsa recti-  
us consequerentur, & obseruarent, opti-  
marum artium scholam introduxerunt.  
Nam Pythagoras ille Samius ex Aegi-  
pto, & Persia reuersus Lacedæmona bo-  
norum studiorū ergo nauigauit. Et Pho-  
cion Atheniensis cum filij sui intempe-  
rantiam, domestica disciplina cohibere  
non posset, ad Lacedæmonios transmi-  
sit instituendum, eoq; adolescentum or-  
dine collocauit, quem ἄγωγιμ Græci ap-  
pellabant. Atticæ disciplinæ, quæ tum o-  
mnium præstantissima habebatur, Lacedæ-  
moniorum præferens, vt refert Sabel-  
licus lib. 2. exemplorum.

## DE GYMNASII PRAEFE

CTO ET RATIONE INSTI

tutionis.

**Q**Uod Lacedæmonij scholæ suæ præ-  
fectum, siue Rectorem, Hippar-  
chum appellârint, Hysichius probat. Nā  
sicut apud Syracusanos Hipparchi, hoc  
est, equitum præfecti, in tabellis militū,  
qui

qui ordinem suum deseruisset nomina scribere solebant: Sic apud Lacedæmonios puerorum præfecti, in tabula notabant eos qui à Magistris aut custodibus propter petulantiam grauioraq; crimina castigandi deferebantur. quod fortasse indicat Plautus.

Digitum longè à pædagogo pedem ut efferres ædibus:

Gymnasia præfecto haud mediocres pœnas penderes.

Ab his verò castigati, si querelam ad patrem suum pertulissent, turpe erat patri nisi iterum, propter summam Reçtoris auctoritatem castigaret, ut author est Plutarchus. Ut non immeritò laudet eos Aristoteles, quòd pueris instituendis maxime operam darent, primò quidèmi domi & priuatim: deindè verò, vbi aduersus prauos mores & corruptelam instructi essent publicè. Cùm ergò Lacedæmonij optimos, & doctissimos celeberrimi gymnasia sui professores haberent, qui bonos mores, tolerantiam laborum, & armorum peritiam, cum liberalibus artibus coniungerent, peregrinari ad exterarum nationum vel ad alia gymnasia proficisci ipsorum filijs

Lib. 7. Polit. cap. ult. timo & li. 8. cap. 1.



filijs non licebat. Ne à paterna probitate  
 seducti, peregrinos quoq; mores, vitæq;  
 incompositæ contagium attraherent.  
 Quisquis autem liberorum suorum i-  
 stitutionem, iuxta ritus patrios non fere-  
 bat, iure ciuium priuabatur. Quare La-  
 cedæmonij suam rempub. omnium opi-  
 mè gubernârunt. Utinam Christiani pa-  
 rentes hoc Lacedæmoniorum exemplū  
 imitarentur, qui humanioris literaturæ  
 gratia filios suos ad exoticas nationes, &  
 hæreticas vniuersitates abire permittūt.  
 Et quos vtilis reipub. ciues, & patriæ pro-  
 pugnatōres facere debebant, eiusdē pro-  
 ditores nutriunt. Nam peritiores quidē,  
 sed multò improbiores ferè recipiunt.  
 Deindē etiam qui in patria nouas & por-  
 tentosas hæreses filios doceri volunt,  
 non ritus paternos & optima decreta Ma-  
 iorum.

## DE IURIS DIVINI ET

HVMANI PRVDENTIA.

**C**VM Lacedæmonij, præ cæteris Græ-  
 ciæ ciuitatibus malèmorati essent,  
 bonasq; disciplinas (sine quibus respub.  
 conseruari non potest) contemnerent:  
 ca. Moses. *distinct. 7* Lycurgus imperij administrator priscos  
 viuens

viuendi mores abrogauit, optimasq; leges introduxit. Quibus vt beneuolentiã atq; autoritatem conciliaret, ab Apolline eas se accepisse simulabat. Vtq; illis moribus, & legibus in æternum ea resp. perduraret, ciuitatem sibi iuramento obstrinxit, nihil eorum quę sanxisset, mutaturam, antequã ipse ab Apolline, si quid latis legibus addi, aut etiam detrahi oporteret, consulturus rediret. Sed cum illi ea ratione ad Apollinem eum proficisci arbitrarentur, ipse exilij loco Cretã profectus, nunquam reuerti voluit. Ne Lacedæmonij iuramento soluti, ab optima reipub. forma, in pristinos mores relaberentur: vt Timæus & Aristoxenes scriptũ reliquerunt. Quod dum ciues deprehenderent, ipsas leges propter summam Lycurgi autoritatem (Nam optimus vir nihil alijs curãdum præscripserat, quod ipse non ante curaret, vt refert Vincen- tius lib. 3. speculi cap. 90.) partim etiam propter iusiurandum diligentissimè obseruarunt, & iuuentuti, vt à teneris assuesceret, in schola discendas proposuerũt. Citat enim Stephanus Ephorũ, qui scripserit, Lacedæmonios circa leges omniũ dili-

diligētissimos extitisse. Qua quidem ex  
 re immortalem apud omnes gentes glo  
 riam consecuti: rempub. suam fœlicitatis  
 mē gubernârunt. Nam integritas, fruga  
 litasq; ciuium tanta fuit, vt qui castè ca  
 stigateq; viuerent, Laconicè viuere dice  
 rentur. quare Cymon in Atheniensium  
 suorum moribus aliquid reprehensurus  
 dicere solebat. Nō sic Lacedæmonij. Scis  
 tum est illud cuiusdam apophthegma: A  
 theniēses nōrunt quid sit honestum, sed  
 eo soli vtuntur Lacedæmonij. Vndè. M.  
 Cicero. Lacedæmoniorum, inquit, ciui  
 tatis spectata, & nobilitata virtus, non so  
 lum natura corroborata, sed etiam disci  
 plina putatur: qui soli toto terrarum or  
 be septingentos iam annos vnīs morib.  
 & nunquam mutatis legibus vixerunt.  
 Habebant enim publicæ disciplinæ arbi  
 tros quosdam & magistros, quos omnes  
 promiscuè propter ætatis, & dignitatis  
 maiestatem verebantur. vt ex cap. 2. lib.  
 18. Gellij colligitur. Etsi non nihil de ni  
 mis acerbitate, instar Atheniensium re  
 misisse paulatim videntur. Solon enim  
 cum mitiores leges Atheniensibus tulit  
 set, Thaletem Crentensem poetam Ly  
 ricum,

In oratio  
 ne pro  
 Flacco,

ricum, è Creta Spartam misit, cuius odis deliniti, animorum feritatem, ex Lycurgi legibus imbutam castigârunt: sicut ex Plutarcho refert Volaterranus libro 20. Charillus verò interrogatus, quare Lycurgus tam paucas Lacedæmonijs leges misisset, respondit, quia pauca loquentibus paucis etiam legibus opus est.

## DE MATHËSI.

**A**stronomiæ studiosissimi fuisse videntur Lacedæmonij. Nam in omnibus publicis & priuatis actionibus, priusquam auspicarentur, lunam superstitiosè obseruabant. Id quòd tacitè notat Euripides, cùm in Iphigenia aulide respondet Agamemnon, tum rupturâ filiam, cùm lunæ dexter circulus aduenisset. Lucianus verò *περὶ τῆς ἀστρολογίας* aperte fatetur, Lycurgum Lacedæmonijs legētulisse, ne prælium inirent ante plenilunium: vnde ortum prouerbium est *λακωνικὰς σελήνας*. In quam superstitionem iocatur Cicero in epistola quadam ad Atticum lib. 7. Et Aristophanes serò aliquid, aut nunquam futurum significaturus τῆ *πανσελήνῳ* plenilunio, inquit, fiet. Musicam quoq; coluerunt, quæ ani

P mi vim



Arist. lib.  
3. polit.  
Fab. lib. 1.  
cap. 17.

mi vim & spiritus excitaret, & ad res gerendas accommodū induceret: non molliorem illam, quæ ad voluptatem molli-  
ciemq; animos effœminaret, qua reli-  
qui ferè Græci utebantur. Memores illi  
us Platonici, multum referre, quo gene-  
re Musices civitas utatur. Et si hanc etiã  
non nisi simplicissimam admittebant.  
Nam Terpandrum præstantissimum ci-  
tharædum multasse leguntur, quod v-  
nam solū chordam in ea, præter neces-  
sitatē intendisset. Lycurgus verò pro-  
pterea musicæ studium cum arte militari  
coniungere præcepit, ut vehemens i-  
psorum bellandi ardor, modulatione tē-  
peratus consonantiam, aptumq; concen-  
tum haberet. Nihil in congregando cū  
hostibus, atq; in principijs præliorum ad  
salutem virtutemq; aptius ratus quàm si  
per mulcti sonis mitioribus, non immo-  
dicè ferocirent. Cū procinctæ igitur  
classes erant, & instructa acies, cœptum-  
que in hostes progredi, tibicines inter e-  
xercitum positi canere inceptabant. Ea  
ibi præcentione tranquilla, & venerabi-  
li ad quãdam quasi militaris musicæ disci-  
plinã vis & impetus militum, ne sparsi  
dispa

dispalatiq; prouerent, cohibebantur. ut scribit Gellius li. i. noctium Atticarum ca. ii. quare apud eos mos inualuit, ut rex prælium initurus Musis primò sacrificaret, quo pugnantes facinora ederent, digna quæ scriptis honestaq; memoria celebrarentur.

Arithmeticam verò Lycurgus ut turbulentam è Repub. eijciendam censuit, quipè quæ vacuum & inanem laborem deposceret, atq; ab utilibus, honestisq; negotijs, ad nugas abstraheret. Quomodo Diogenes etiam Cynicus Mathematicos reprehendere solebat, quòd solem, lunam, stellas intuerentur, quæ ante pedes essent non viderent.

### DE RHETORICA.

Socrates in oratiõne, quæ Archidamus inscribitur Lacedæmoniorum ingenio, & morib. sese ut videtur, accommodaturus: Ego, inquit, hæctenus eloquentiæ studiũ semper contempsi, existimans verborum curam cum negligentia & ignauiarum gerendarum coniunctam esse. Nam Rhetoricam artem copiosè ornatèq; dicendi, Lacedæmonios repro-  
basse, Fabius Quintilianus lib. secundo

oratoriarum institutionum cap. 17. fatentur existimantes proborum hominum sermonem non ab arte, sed ex pectore proficisci oportere. Vnde *λακωνίζουσαν* apud Græcos breuiloquentiam affectare significat, quoniã Apophthegmatis, & breuius verbis plurimum sententiæ complectebantur. Cresiphontem autem, quòd se iactaret, de re quavis totum diem posse dicere ex vrbe eijciebant. Quemadmodum Diogenes etiam Cynicus reprehendebat Rhetores, quòd studerent iuste dicere, sed eadem facere negligerent. Quomodo autem Lacedæmonij ab infacundis & probis viris prolatis sententiis probare maluerint, quàm à facundis & disertis sed turpibus & improbis, elegans admodum locus est apud Gellium libro 18 cap. 2.

## DE POESI.

**Q**uanquam Lycurgus Lacedæmoniorum legislator primus Homeri poemata in Græciam importasse legitur: tamen recentiores poetas Lacedæmonij recipere noluerunt, qui blãda potius scriberent, quàm salubria. Interrogatus enim quidam Lacedæmonius, quid ipsi vide-

Aelian. li.

13 cap. 14.

videretur Tirtæus poeta: bonus, inquit, ad deprauandos iuuenum animos. Arbitrabantur enim, quod Poetæ iuvenes ad otium, & ignauiam auerterent, redderentq; ad gerenda reipub. munera ineptiores. Quare Archilochum poetam, eadem prorsus hora, qua in ciuitatem venerat expulerunt.

## CONSTANTINOPOLI-

TANA ACADEMIA.

Constantinopolis à gloriosissimo Constantino Magno denominata, augustissimi græcorum Imperij sedes & totius orientis caput, in tantum splendorem excreuit vt meritò noua roma diceretur. (Nam sicut romam totius orbis epitomen: ita Constantinopolim *κόσμος κόσμου* vocabant: vt scribit Rhodoginus lib. 18. ca. 25.) Optimarum verò artiũ studijs Atheniensium gloriam longè superaret, vt author est Niceph. Gregoras in Monodia Andronici Impe. Huc enim cum Imperiali Maiestate liberales artes ex vniuersa Græcia, veluti receptaculũ quoddam, confluxerunt. vt Fredericus Imperator in epistola quadam ad Nicolaum pp. V. fatef. Quæ vt ibi quàm ma-



ximè florerēt, Sacratissimi Imperatores pro incredibili suo in bonas literas amore diligenter laborârunt. Nam Theodo. Imperat. in L. vnica. C. de studijs lib. vrbis Ro. & Constantinop. Oratores quidem, inquit, habeat auditorium nostrum tres numero. grammaticos verò decem, in his etiam qui facundia grauitatis polere noscuntur, quinq; numero sint sophistæ, & grammatici decem. Et quoniã gloriosam optamus institui: profundioris quoq; scientiæ atq; doctrinæ memoratis Magistris sociamus authores. Igitur vnum adungi cæteris volumus, qui philosophiæ arcana rimetur: duos quoq; qui Iuris ac legum voluntates pandant. Ita vt vniciq; loca specialiter deputata assignentur, ne discipuli sibi inuicè possint obstrepere, vel magistri, neue linguarum confusio permixta, vel vocum, aures quorundam, aut mentes à studio literarum auertat. Valent. vero Imperator in L. vnica C. de professoribus, qui in vrbe Constantinop. docètes ex L. mæruerunt Comitiam, Grammaticos, inquit, tam Græcos, quàm Latinos, Sophistas, &

stas, & Iurisperitos in hac regia vrbe  
 professionem suam exercentes, & inter  
 statutos connumeratos, si laudabilem in  
 se bonis moribus vitam esse monstraue-  
 rint, si docendi peritiam, facundiam di-  
 cendi, interpretandiq; subtilitatem, & co-  
 piam differendi se habere patefecerint,  
 & coetu amplissimo iudicante digni fue-  
 rint existimati, cum ad viginti annos ob-  
 seruatione iugi, ac sedulo docendi labo-  
 re peruenerint, placuit honorari, & his,  
 qui sunt ex vicaria dignitate, connume-  
 rari. Vicarij verò illi comitibus & duci-  
 bus equales erant, vt testatur glossa. Rur-  
 sus Const. in L. Medicos & Honor. in L. libro 10.  
 grammaticos. C. de professoribus & me-  
 dicis, Iurisperitos, Medicos, Oratores,  
 bonarumq; artium professores vnà cum  
 vxoribus, & liberis, atq; rebus, quas in  
 ciuitate possidēt, ab omni functione, &  
 muneribus ciuilibus vel publicis immu-  
 nes esse præcipiunt. Nec in prouincijs ho-  
 spites suscipere, nec ad iudicium deduci,  
 nec iniuriam pati: verum vt quampluri-  
 mos liberalibus actibus instituere possent,  
 mercedem & salaria è publico liberaliter  
 suppeditari voluerunt. Cum ergò Glo-  
 riosis-

Zonaras  
lib. 3. An-  
nālium.

22. Imp.

οτιο

riofissimi Imperatores maximam bona-  
rum artium in Repub. utilitatē animada-  
uererēt, regiam domum, duodecim do-  
ctissimis prudentissimisque; viris inhabi-  
tandam attribuerunt, vbi honestissimē  
& pro sua dignitate alerentur, & Impera-  
tori de rebus agendis consulerent: studi-  
osæ verò iuuentuti de grauioribus con-  
trouersijs interrogari responderēt. Quo-  
rum tanta apud omnes ordines erat au-  
toritas, vt vniuersus populus ab ipsis de-  
penderet. Nā Leo Imperat. venerandas  
sanctorum imagines aboliturus, hos in  
suam sententiam pertrahere in primis  
conabatur, ratus se tū quod vellet, absq;  
vlla difficultate consecuturum. Verūm  
hi, cum pro sua prudentia non solum nō  
assentiretur, sed fortiter etiam repugna-  
rent: venerandos viros cum domo, & o-  
ptimis libris crudeliter exulsit, vt qui  
nollent adiuuare, impedire non possent.  
Horum verò vnus, qui & ætate, & sapiē-  
tia cæteris antecelleret, *δικουμένικος* &  
*δάσκαλος* appellabant. Atq; ex eo tem-  
pore bonarum artium studia perire cœ-  
perunt, & philosophia ita propemodum  
extincta iacuit, vt vix scintilla superesset.  
Donec

Donec Bardas, Michaëlis Theophili & Theodoræ Imp. filij auunculus & tutor, eam excitaret iterum, & in scholas reduceret. Nam singularum artium doctissimis professoribus publica stipendia decreuit, & Leonem quendam præstantissimum philosophum quem reges certatim ornarant, cæteris omnibus præfecit, duodecem uirorum, uti videtur, collegium restitutus. Quapropter bonæ literæ reflorescere cœperunt. Jurisprudentiam verò quæ oppressa ferè erat, in forû reuocauit, quia iudicia ipse frequentabat. Diuinum porrò eius studium Leo Imperat. philosophus, eiusq; filius Constantinus mirificè auxerunt: qui eius exemplum sequuti, ordinatis professoribus nihil quàm bonas literas ad summum prouehere antiquius habebant: ut post Zonaram scribit Egnatius. Eorumq; in Imp. & pietate successor Constantinus Ducas, eruditos viros mirabiliter coluit, dicere solitus. Malle se eruditione, quàm imperio nobilitari. Et Alexius Comnenus ad ornandum imperium conuersus, orphanotropheion, & pulcherrimum literarum Musæum erexit. Ut in illo quidem pu-

P 5 pilli



pilli orphaniq; alerentur: in hoc verò bo-  
 na literæ flourerent. quod Volaterra. &  
 Egnatius testantur. Andronicus verò  
 omnium aliorum Imperat. in bonas lite-  
 ras voluntatem non equare, sed vincere  
 conatus est. Nicephorus enim Gregoras  
 in eius Monodia, quæ lib. 10. historiz Ro-  
 manæ, superioribus annis ab Hierony-  
 mo Vuolfio translata, reperitur, in hæc  
 de eo verba loquitur. O maximè bono-  
 rum thesaure Imperator, cur nos te desie-  
 derantes tam subito deseruisti? Per te e-  
 nim & Nobiles nobiliores facti sunt, &  
 coetus sacerdotum venerabilior, & colle-  
 gium sapietum sapientius, vrbium moe-  
 ria firmiora. Deniq; omnes te modera-  
 tore, ipsi nos superamus. &c. Eamque  
 promptissimam Imperatoris in bonas  
 literas voluntatē, Optimus consiliarius,  
 & Nestor, magnus ille Logotheta miri-  
 ficè promouit. quod idem Nicephorus  
 in ipsius quoque epitaphio declarat. O-  
 mnes enim ad immaturam illius mortē  
 deplorandā inuitaturus, Vbi est, inquit,  
 nunc familiaritas sapientum? vbi do-  
 ctorum certamina, & honestæ velitatio-  
 nes? vbi Oratorū coetus, applausus, thea-  
 tra, mul-

tra, multò panathæis alijs splendidiorar  
 O tempus iniquissimum, itáne è medio  
 terrarum orbe sapiètiæ metropolim tol-  
 lere crudeliter haud dubitasti? Itáne per  
 insidias eloquentiæ arcem euertisti? Cur  
 tam continenter insultas nobis, sine vlla  
 misericordia, & facietate malorum? Agè  
 verò prodi núc omnis venerādus docto-  
 rum cœtus, si qui supersunt: Deplorate  
 fontem eloquètiæ obturatum. At ò quis  
 è medio terrarum orbe Musarum abri-  
 puit Heliconem? Quis sapiètiæ destruxit  
 Olympum? Quis lucernam extinxit  
 mentis nostræ oculos illustrantem? Quis  
 artem artium, scientiam sciètiarum per-  
 didit? Quis cœlestem hominem in fun-  
 dum inferorum deiecit? Olim quidèm  
 Græcia, eloquentiæ domicilium deplora-  
 ruit Athenas, cùm eas Lysander Lace-  
 dæmonius destruxisset: Nos verò hodiè  
 non satis deplorare possumus totā Græ-  
 ciam, cum ipsis Athenis demersam. V-  
 nus enim hic vir fuit omnia. O Musæ, ò  
 facundia, ò virtutes, ò omnes discipline,  
 quomodo agrestia lilia adeò celeriter e-  
 stis imitatur: citò quidèm in altum decus  
 erectæ, sed citius arefactæ, atq; deiectæ.

Diui

Divina enim vestra cella, magnum illud  
 celebre vestrum diuersorium, nunc ter-  
 ra mariq; oppressum, vnà vestram quo-  
 que gloriam depressit. Hic fuit, qui ma-  
 gnum impedit studium, ne Græci in po-  
 sterum eruditi, in iudicio veterum sapien-  
 tum hallucinarentur. Hic fuit, qui con-  
 templatricis siderum sapiētiae scientiam  
 facilem reddidit. Hic fuit, qui Aristoreli  
 cæ linguæ labyrinthos extricauit. Hic o-  
 ptima verecundiæ, & modestiæ regula.  
 Sed nunc cum mors impudenter ampu-  
 tauit. Cùm ergò tantus, & tam præstans  
 ille vir, heu calamitatem, sepulchrum &  
 puluerem subierit, nobis hoc ipso, & o-  
 ptimo Imperatore talibus tantisq; præsi-  
 dijs, ac munitionibus destitutis, quæ vlli  
 us boni spes relinquitur? Idem enim &  
 nobis vereri nunc subit, quòd vitibus &  
 plantis nouellis, si quis antibus, & sepi-  
 bus fraude remotis, eas pecudibus patere  
 sinat. &c. Papè Nicephore si hæc nostra  
 tempora videres, quibus nō solum opti-  
 mi Musarum Patroni, vt natura fert, e-  
 moriuntur, sed ipsæ etiam Musæ à viris  
 petulantissimis reprehenduntur, earun-  
 demq; esiciæ periunt, & optimi vetustissi-  
 morum

morum authorum libri turpiter exuruntur. Si, inquam, hæc (graviora enim nunc prætereo) videres, diu ne in hoc assumpto corpore manere liberet? Hic ergo doctissimi viri sub diuersis Imperat. flourerunt. Nam Libanius Sophista tempore Iuliani apostatæ Constantinopoli professus, Beatum Chrysostomum moriens successorem nominauit: verum is gratia spiritus sancti illustratus, meliorem partem elegit. Clarissimus Theophilus facti cōsistorij comes, quo Iustinianus Imperat. in nouo Codice faciendo usus est, Iuris prudentiam in alma Constantinopolitana vrbe docuit, vt §. Ideoq; C. de nouo Codice faciēdo, & L. 2. de veteri Iure enucleando videre est. Aristophanes Appellis filius, Callimachi Zenodoti & Dionysij auditor, Grammaticam docuit, quam ibi quoq; professus est Hermolaus, qui in librum Stephani de urbibus, epitomen ad Iustinianum scripsit. Doctissimus ille Ioannes Gerundinensis Ecclesiæ Episcop. genere Gothus, Constantinopoli bonis literis, & sacra Theologia breui tempore sic imbutus est, vt per Hispanias, & Lusitaniam Arrianam hæresim

Nicephorus  
 lib. 13. ca. 2.



Platina.  
Volater.  
lib. 16.

resim mirificè opprimeret, tempore Bonifacii PP. & Phocæ Imp. Iohannes etiam Damascenus insignis philosophus & eximius Theologiæ professor euasit. Volaterranus lib. 16.

## DE BIBLIOTHECA.

Quemadmodum duodecim tabularum leges, quæ Juris civilis Romanorum origo fuerunt, ab Atheniensibus ferè petitiæ sunt: sic vbi propter Longobardorum, & Francorû incursiones Romanæ leges per Italiam non contemnerentur solum, verum etiam barbaris constitutionibus oppressæ conticescerent, è Constantinopoli in Italiam reductæ videntur, ab Irnerio quodam Lotharij Imperatoris consiliario, vt in Academia Romana fusiùs fortè explicabitur. Conseruabatur enim hæcenus Græcia sacrarum legum & bonarum artium doctrinam Constantinopoli. Et in Ius civile Romanorum commentarij conscribebantur, similes glossematis Doctorum Italico-rum, quos doctissimi viri se vidisse testantur. quare in glos. L. vnicę. C. de priuilegijs vrbs Constantinop. mater legum appellatur. Atq; ad templum sophiæ instruatissi-

tissima bibliotheca erat, quæ decem my-  
 riades librorum contineret. Vnde in ec-  
 clesiasticam suam historiam se plurima  
 transtulisse faterur Nicephorus lib. 1. ca-  
 1. Nam Theodosius Imperat. sacrorum  
 librorum congerendorum tã studiosus  
 fuisse legitur, vt ea laude Ptolomæo re-  
 ge Aegipti haud inferior esset. Multa e-  
 nim sanctorum Patrum monumeta sua  
 manu describebat, quæ in bibliothecam  
 reponeret, vt author est Nicephorus lib.  
 14. cap. 3. Ex qua Constantinus Imperat.  
 in synodo œcumenica 6. sanctorum pa-  
 trum libros depromi iussit, vt cõtrouer-  
 sia, quam de vna tantùm in Christo sal-  
 uatore nostro natura Georgius patriar-  
 cha Constantinopolitanus, & Macarius  
 Antiochenus instituerant, decideretur,  
 vt Platina in vita Agathonis PP. primi.  
 & Urspergen. in chronicis scriptum reli-  
 querunt.

## CORINTHIORVM

VNIVERSITAS.

**C**orinthus amplissima & opulentis-  
 sima ciuitas fuit, inquit Strabo, si-  
 ue viros ad rempub. gubernandam aptis-  
 simos: siue bonas artes consideres. Fuisse  
 verò

verò Corinthiorum *κράτιον* non minus celebre gymnasium, quàm Atheniense lyceû indicat Lucianus in dialogis mortuorum: quando introducit Diogenem, qui Menippo per Pollucem renunciare iubet, vt philosophos in Cranio ridere quidem desinat: sed potius hortetur eos, & moneat à nugis, crocodilis, & cornutis syllogismis abstinere. Etsi Laert. lib. 6. in vita Diogenis probat, ante Corinthum fuisse Craniû in quo Cynici philosopharêtur. Dionysius Syracusanorum Tyrânus, exul Corinthi bonas artes professus est, vt Cicero lib. 3. Tusculanarum quæstionum refert: & Valer. Maximus lib. 6. inter varietates casuum recensuit. Dionysius autem inquit, cum hæreditatis nomine à patre Syracusanorû, ac petisset, maximarum opum dominus, exercituum dux, rector classium, equitatu potentis, propter inopiam, literas pueros Corinthi docuit, eodemq; tempore tantæ nax nimis crederet, magister ludi factus ex Tyrâno monuit. In celeberrimo præterea Corinthiorum gymnasio Decearchus

archus de animo pulcherrimè disseruit, Cicero  
 camq; disputationem & prelectiones su- lib. I Tus.  
 as, tribus deinde libris cõplexus est. Por- questio-  
 rō clarissimos Corinthi philosophos, & num.  
 celeberrimum literarū gymnasium fu-  
 isse, beatus Paulus Apostolus in priori ad  
 ipsos epistola perspicuè satis declarat,  
 qui & apimorum immortalitatem, resur-  
 rectionemq; carnis pernegarent, & Pau-  
 lū ut indoctum, & barbarū fastidirent.  
 Aduersus quos capite primo authoritatē  
 suam defensus, scriptum est, inquit,  
 perdam sapientiam sapientum, & prudē-  
 tium prudētiam reprobabo, ubi sapiens,  
 ubi scriba, ubi inquisitor huius seculi? Iu-  
 dei signa quæerunt, Græci sapientiam de-  
 siderant: sed infatuauit deus sapientiam  
 huius mundi &c. Quare ut apud doctissi- Actorum.  
 mos Atheniēses Arati poetæ hemistichi- 17.  
 um, sic in priori ad Corinthios epistola capite 15.  
 Menandri uersum usurpat Iambicum.  
 Corruptunt mores bonos colloquia ma-  
 la, ut rectè notat Diuus Hieronymus in  
 caput primum epistole ad Titum. Nimi-  
 rū ut proprijs eos, & domesticis testimo- Lactanti-  
 nijs quod utilissimū talibus in rebus, est us li. 5. c. 4.  
 reprehēderet, Ad hunc modū olim Græ-



cia bonis artibus florebat, vt nulla natio  
 in vniuerso terrarum orbe celebrior ha-  
 beretur, ad quam omnium gentium lu-  
 uentus tanquam mercaturam bonarum  
 artium confluebat. Quandiu videlicet  
 saluberrimum hocra. cōsiliū recipere,  
 qui in orat. de pace eos ad virtutes & con-  
 cordiam hortaturus, Florente, inquit, his  
 rebus Græciæ statu, setiam augeri & am-  
 plicari sapientiæ, & doctrinarū studia  
 consueuerunt. Nunc verò postquam sa-  
 pientissimi viri præcepta transgressi, om-  
 nis ipsorum gloria, eruditio & autho-  
 ritas ad Romanos translata est: vt nec in  
 ipsa quidem Græcia, vbi nunc est, vnquā  
 extitisse videatur. Et rectè Politianus in  
 epigrammate quodam, quid mirum, in-  
 quit, si nos Latini, olim Græcorum lite-  
 ris educati, nunc Græciam velut anum  
 atq; effætam iterum suas doceamus, atq;  
 iam in ipsa Græcia queramus Græciam.  
 Et Aeneas Syluius in dialogo de sacra cō-  
 munione, consenuit, inquit, Græcia fri-  
 gida est, nec habet qui calefaciat eam, &  
 quæ fuit Asianorum Magistra, nunc est  
 discipula Latinorum. &c. Hactenus er-  
 gò de celebrioribus Græcorum vniuersi-  
 tatis

atibus, ne in immensum primæ nostræ  
 lucubrationis excurrat oratio, dictum sa-  
 tis: de Rhodiorum & Cretensium Aca-  
 demia, quæ Græciæ multis nominibus  
 coniungenda videbantur, nunc paucis  
 perscribemus.

## RHODIORVM

## ACADEMIA.

**R**Hodus vrbs nobilissima, vndè toti  
 insulæ nomen impositum est, ante  
 Christū natum annos 740. à Phoroneo  
 Arginorum rege condita, & à rosæ capu-  
 lo illic inuēto denominata creditur, quæ  
 suo splendore tantum alias vrbes ante-  
 cellit, vt nullam ei æqualem, nedum præ-  
 stantiorē proferre queamus, inquit Stra-  
 bo lib. 14. Gymnasium verò Rhodium  
 propter incredibilem loci oportunitatē,  
 & authoritatem vrbis celeberrimum fu-  
 it. Quippè in quo omne doctrinarū ge-  
 nus, à viris doctissimis diligentissime ac-  
 curatissimeq; tradebatur: vt vel Inuitis-  
 simi Romanorum Imperatores eos ibi  
 audire desiderarēt. Nam Pompeius Ma-  
 gnus ex Asia reuersus, omnes bonarum  
 artium professores audiuit. qui cum ipsi  
 pro sua eruditioe cumulatissime satisfac-  
 erent,

cerent, singulis aurientum obtulit, ut  
 author est Sabellicus. Enneade 6. Ipse ve-  
 rò Pompeius narrare solebat, ut refert  
 Cicero lib. 2. Tusculanarum quæstionū,  
 se Possidonium quoq; Stoicum Rhodi  
 audire voluisse: sed cum audiret eum gra-  
 uiter esse ægrum, voluisse tamen nobilif-  
 simum philosophum visere. Quem ut vi-  
 disse & salutauisset, honorificisq; verbis  
 prosecutus esset, molestè se dixisse ferre,  
 quòd eum non posset audire. At ille, tu  
 verò, inquit, potes, nec committam, do-  
 lor corporis efficiat, ut frustra tantus vir  
 ad me venerit. Itaq; narrabat eum graui-  
 ter, & copiosè de hoc ipso, Nihil esse bo-  
 num, nisi quod honestum esset, cubantè  
 disputasse. Sic fasces lictorios submisit is  
 philosopho, cui se oriens occidensq; sub-  
 miserat, inquit Plinius. Fuit enim tan-  
 tæ sapientiæ, & authoritatis Possidonius,  
 ut maximus ille Cicero suum de consu-  
 latu ὑπόμνημα, corrigendum trans mitte-  
 ret, rogans ut is iisdem de rebus ornatius  
 scriberet, sicuti in epistola quadam ad At-  
 ticum fatetur. Tiberius etiam Imperat.  
 Rhodi salubritate delectatus, circa scho-  
 las & auditoria professorū, tam assiduus  
 fuit,

